DE AESCHYLI PROMETHEO QVAESTIONES.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JOHANNES ZUM FELDE

HORNEBVRGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIV

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt

F. Leo et P. Wendland.

Examen rigorosum habitum est a. d. III. Id. Febr. a. MCMXIV.

MANIBVS

FRIEDERICI LEONIS

SACRVM.

ARGVMENTVM.

Utrum Prometheus Aeschyli nomine tradita sit integra fabula Aeschyli an non quaestio ex quo Westphalium[1]) carminum huius fabulae res metrica offendit iterum iterumque habita est et maxime Bethii[2]), Wackernagelii[3]), Gerckii[4]) disputationibus in eum deducta est finem, ut iam non solum utrum retractata sit fabula an non controversia sit sed etiam nonne tota fabula recentiori sit tribuenda poetae, id quod maxime pressit Gerckius[5]) qui comprehensis omnibus argumentis adhuc allatis et de re grammatica et scaenica et metrica novisque adiectis de compositione trilogica — diiungendam esse censet a Soluto Prometheo fabula — circa annum 430 conscriptam esse contendit fabulam, ita ut sane abiudicanda esset Aeschylo. Idem nuperrime iudicavit Nietzballa[6]). Attamen quamquam quae Wackernagelius et Gerckius et Nietzballa de recentioribus formis grammaticis, ut de perfecto resultativo, de futuro in -θήσομαι, de verbis ab Aeschylo alienis ut αὐθάδης, ἐφήμερος, πεδάρσιος, ταλαίπωρος, φιλάνθρωπος, δάμαρ, φάραγξ, εὐηθία, γεγωνέω, de verbis in -άνω terminantibus aliisque formis exquisiverunt, refellere non possum, tamen maioris esse momenti existimo exqui-

1) Prolegomena zu Aischylos, Leipzig 1869.

2) Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, 1896.

3) Über sprachliche Eigenarten des Prometheus, Verhandl. d. 46. Philologen-Versamml. in Straßburg, 1901. Studien zum griechischen Perfekt, 1904.

4) Über die Prometheus-Trilogie, Zeitschr. f. Gymnasialwesen 1911, 168 sqq.

5) l. l. p. 173/4.

6) De copia verborum et elocutione Promethei Vincti q. f. Aeschyleae, Diss. Vratisl. 1913.

rere utrum tota fabulae compositio et scaenarum et carminum argumenta et forma et personarum et dicta et facta cum Aeschyli ratione consentiant an non, id quod Gerckius nec ignoravit et rem tali modo institui maxime necessarium esse iudicavit [1]), quodque primi aggressi sunt Bethius de choro (l. l. p. 162), Wilamowitzius de re metrica monologi [2]), Robertus [3]) de re scaenica et de argumento, Leo [4]) de monologi argumento, Fries [5]) de choro, Graeberus [6]) de arte scaenica disserentes. Nam habere proprietates suas unamquamque Aeschyli fabulam per se constat et quanta omnino veteres tragici in componendis fabulis libertate usi sint Sophoclis Ἰχνευταὶ fabula nuper reperta confirmatur [7]).

Primum igitur utrum chorus per totam fabulam ipsi constet an non quaeramus. Bethius enim ea re chorum sibi ipsum repugnare contendit quod, cum v. 1035 sqq., quibus ut Mercurio cedat Prometheus virgines suadent graviter compellentur, tamen in fine fabulae a Prometheo stent et cum eo in voraginem deiciantur. Itaque finem fabulae, quamquam quo mirabili ingenii sit conceptu profitetur retractatoris esse censet. Quid quod Roehleckius [8]) initium atque finem fabulae longe alienam a media fabula speciem prae se ferre dicit! Cum enim

---

1) l. l. p. 169: „Es kann traurig stimmen sehen zu müssen, wie gegenüber einem solchen gewiß hochinteressanten Probleme alles andere verkümmert und auch für dieses eine Problem die Entscheidung nicht in dem Aufbau des Stückes gesucht, sondern aus äußern Argumenten, Metrik, Sprache, Bühnentechnik u. s. w., entnommen wird.

2) Herm. 32, 387 adnot.

3) Herm. 31, 571 sqq.

4) Monolog im Drama p. 7.

5) De conexu chori cum actione fabulae ... Diss. Gotting. 1913.

6) De poetarum Atticorum arte scaenica quaestiones quinque. Diss. Gotting. 1911.

7) cf. quae Wilamowitzius explanat in Neue Jahrb. f. klass. Altert. 1912, p. 449.

8) Septem adversus Thebas et Prometheum vinctum esse fabulas post Aeschylum correctas. Diss. Berlin 1882.

initio odio sit affectus Iovis, in media fabula (v. 526 sqq.) timore huius dei eum esse perterritum, at in fine recidere in odium, cum ibi gravibus et impiis verbis in Mercurium utatur. Tales discrepantias re vera non exstare ut probemus, quomodo per totam fabulam se gerat chorus examinemus.

Quo animo ab initio in Prometheum futurus sit demonstratur exemplo patris Oceani, qui, ut est viri natura, accuratius et gravius a qua parte stet indicat, quod non solum verbo, sed etiam facto probare paratus est:

v. 296 φέρε γὰρ σήμαιν' ὅτι χρή σοι συμπράσσειν [1]).

Est igitur Oceanus familiarissimus Promethei,

v. 298/9 οὐ γάρ ποτ' ἐρεῖς ὡς Ὠκεανοῦ
φίλος ἐστὶ βεβαιότερός σοι.

Cuius rei causa est quod eiusdem veteris deorum generis est cuius Prometheus (v. 291/2). Chorum igitur non aliter sentire exspectandum est cum eisdem causis necessitudinis cum Prometheo coniunctus sit. Re vera statim ingressus scaenam facit cum Prometheo:

v. 128 φιλία γὰρ ἅδε τάξις . . .

idque eo magis, quod nondum praeterierunt tempora quibus Juppiter veteres deos vi deicit:

v. 151 τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν ἀιστοῖ.

Sed non amicitia Promethei commotus ipse quoque Iovis adversarius exsistere audet, immo timore summi dei adductus (v. 183 ἐμὰς δὲ φρένας ἐρέθισε διάτορος φόβος) nihil dicit in eum improbi et omnino quomodo de Iovis in Prometheum poena iudicet non profitetur. Quam ubicumque rem commemorat, tam cautis atque consideratis verbis id facit, ut nihil in iis vituperationis insit:

v. 150 νεοχμοῖς δὲ δὴ νόμοις Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει,

ubi ἀθέτως a Bentleio recte ex Hesychio sumptum nihil aliud significat quam

---

1) In versibus enumerandis secutus sum editionem Arturi Sidgwick, Oxonii.

v. 404 ἰδίοις νόμοις κρατύνων.

Quam codices habent scriptura ἀθέσμως, propter metrum improbanda, plane destrueret poeticam subtilitatem huius loci, cum aperte damnaret Iovis in deos veteres factum. Neque aliter res se habet in

v. 165 sqq. δάμναται οὐρανίαν
γένναν οὐδὲ λήξει, πρὶν ἂν ἢ
κορέσῃ κέαρ ἢ παλάμᾳ τινὶ τὰν
δυσάλωτον ἕλῃ τις ἀρχάν

ex quibus optare quidem chorum ut Iovi imperium eripiatur concludi potest, sed nusquam hoc aperte pronuntiatum est. Itaque vehementissime quoque perterretur Prometheo minante se nihilo minorem esse Iove et fore ut is aliquando suo auxilio egeat (v. 168—179). Neque dubium est quin ut talibus verbis in Iovem utatur nulla re adduci possit, cum admoneat Prometheum ne nimis libere loquatur

v. 182 ἄγαν δ' ἐλευθεροστομεῖς.

Contrariis igitur duabus rebus permovetur chori animus: et misericordia Promethei et timore Iovis. Quaerenti igitur cur Oceanidum potissimum chorum poeta elegerit in hac fabula conscribenda apparet duabus de causis eum hoc fecisse: primum ut atrocissimo acerbissimoque Titani opponeret venustissimas illas puellas, deinde ut inter inimicissimos Iovem et Prometheum personam aliquam haberet quae media inter eos staret et ad animum Promethei Iovi reconciliandum aliquid valeret. Chorus enim utriusque a parte est, Promethei, cum eum eius misereat,

---

1) Esse autem Aeschyli, ut ubicumque de Iove aliquid dicat quod opprobrio ei dandum sit, talibus incertis verbis utatur qualibus hoc loco chorus, optime illustratur Agam. v. 171/2, ubi de ipso Iovis in Prometheum facto dicit

ὃς δ ἔπειτ ἔφυ τρια-
κτῆρος οἴχεται τυχών,

cum reliquis versibus (160—191) praedicet Iovis sapientiam et omnipotentiam.

Iovis, cum eum timeat non aliter atque ceteri di. Nam hos quoque nulla alia de causa Iovi deditos esse neque aliter de eo iudicare atque chorum apertum est ex Vulcani verbis:

v. 35 ἅπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῇ,

quod idem significat atque chori v. 150/1, et

v. 50 ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός,

quocum compares chori verba 163 sqq.: δάμναται οὐρανίαν γένναν, et ex Roboris minis

v. 68 ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιρεῖς ποτε.

Ea igitur re differt chorus a Prometheo, quod iam Iovis imperium agnovit ut reliqui di. Propterea carmina quoque chori his duabus ex causis, et misericordia Promethei et timore Iovis, oriri exspectamus, id quod argumento uniuscuiusque carminis probatum invenimus. Primum enim stasimum (v. 399—435) est lugubris de gravissima Promethei calamitate cantus, alterum (v. 526—560) ex Iovis timore natum est. Qui enim hunc non veneretur, eum gravissimis poenis affici ex Promethei exemplo cognovit chorus. Idemque animi motus subest postremo carmini (v. 887—906), quo ne umquam Iovis uxores fiant optant virgines, cum eius iram nemo effugere possit:

τὴν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ
μῆτιν ὅπα φύγοιμ' ἄν.

Atque in dialogo inter Prometheum et chorum sequente (v. 907—943), quo ille auctoritati Iovis omni modo obtrectat et quam turpiter aliquando regno cariturus sit praenuntiat, chorus, quamquam brevi ante, in Ionis illa scaena, a Prometheo certissima documenta accepit futurorum scientiae, tamen his verbis credere dubitat,

v. 930 καὶ προσδοκᾶν χρὴ δεσπόσειν Ζηνός τινα;

nam tantus est timor eius, ne talium verborum improborum poenas repetat Iuppiter (v. 932: πῶς δ' οὐχὶ ταρβεῖς τοιάδ' ἐκρίπτων ἔπη;), tantaque eius de sempiterno Iovis regno opinio, ut Prometheo fidem derogare malit quam

Iovi reverentiam. Propterea acerbis illis verbis

v. 937 σέβου, προσεύχου, θῶπτε τὸν κρατοῦντ' ἀεὶ

respondet Prometheus, quibus irridet chorum. At huius est vitae ratio contentum esse iis rebus quae mutari non possint

v. 936 οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί,

quocum conferas Pindarî Pyth. 2, 93 φέρειν δ' ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγὸν ἀρήγει. Neque mirum igitur est quod idem consilium etiam Prometheo dat cum Mercurius etiam graviores ab eo poenas expetitum iri minetur nisi Iovi paruerit. Neque tamen ea de causa hoc suadet Prometheo quod Mercurii verbis commotus in Iovis partes transisse videtur, sed quod illius saluti timet. Itaque cum Mercurius ei imperet ut relinquat Prometheum vehementissime eum reicit his verbis

v. 1066 πῶς με κελεύεις κακότητ' ἀσκεῖν;
μετὰ τοῦδ' ὅ τι χρὴ πάσχειν ἐθέλω.

Neque tamen haec ipsa verba „impia“ in Mercurium „deum“ dicta esse concedere possum quae repugnent illis

v. 533 μηδ' ἀλίτοιμι λόγοις.

Nam Mercurius hoc loco non magis quam Vulcanus in prima scaena locum obtinet dei Oceanidibus colendi, sed uterque minister tantum Iovis exstat; ut ille quasi opifex, sic hic nuntius. Itaque ingredientem scaenam non verecunde alloquitur chorus, quin etiam ne „deum“ quidem eum appellat, sed Mercurium tantum:

v. 1036 ἡμῖν μὲν Ἑρμῆς οὐκ ἄκαιρα φαίνεται λέγειν.

Quaeque Mercurius choro dicit verba, non sunt mandata Iovis, sed Mercurii ipsius adhortatio benevola, ut secum abeat ne ingenti tonitru perturbetur. Quodsi chorus se amicum deserturum esse negat cum id proditionis esse censeat, non in deos impietatis exemplum dat. Neque Mercurius virgines eius rei accusat versibus sequentibus, sed ipsarum imprudentia tantum dicit eas in calamitatis plagam implicitum iri:

v. 1078/9 εἰς ἀπέραντον δίκτυον ἄτης
ἐμπλεχθήσεσθ' ὑπ' ἀνοίας,

neve culpam calamitatis in Iovem referant sed in se ipsas (v. 1073 sqq.).

Apparet igitur chorum per totam fabulam sibi constare neque alium esse in Oceanidum scaena et in fine fabulae quam in canticis mediis.

Sed ut hunc medium inter Prometheum et Iovem locum obtinere possit chorus eo assecutus est poeta, quod eum sententiam totius fabulae quae est de summi dei iniustitia, non intellegentem facit. Ergo transeamus ad eam quaestionem, quid chorus sentiat de Iove non iusto qualem fabula repraesentat.

Altera pars Oceanidum scaenae, v. 195—286, eum habet finem, ut Prometheum esse innocentem, Iovem iniustum demonstretur. Prometheus narrat αἰτίαμα quod dicitur, ex quo Iuppiter se vinciri iusserit. Quae narratio constat ex duabus partibus inter se paribus, quarum eadem est sententia: Iovem beneficia iniuria remunerari. Atque priore parte narrat Prometheus quomodo veteres di sint deiecti. Cuius est haec sententia: Ego adiuvi Iovem in regno constituendo — tamen hac poena affectus sum ab eo. Altera parte transit ad suum quod dicitur scelus eandem sententiam proferens: Ego adiuvi homines — hoc inde praemium abstuli. Prometheum de altero hoc facto non aliter sentire atque de priore, innocentem igitur se esse demonstrare velle, inde apparet quod ex utraque narratione plane idem concludit, ex priore

v. 222/3 ὁ τῶν θεῶν τύραννος ὠφελημένος
κακαῖσι ποιναῖς ταῖσδε μ' ἀντημείψατο,

ex altera

v. 237/8 τῷ σοι τοιαῖσδε πημοναῖσι κάμπτομαι
πάσχειν μὲν ἀλγειναῖσιν οἰκτραῖσιν δ' ἰδεῖν.

Consulto igitur poeta illam de Iovis regno constituendo narrationem adhibuit, ut altera parte eo accuratius Iovis iniustitia illustraretur.

Sed quod chorus hac ex re colligit plane contrarium est:

v. 261 οὐχ ὁρᾷς ὅτι
ἥμαρτες; ὡς δ' ἥμαρτες οὔτ' ἐμοὶ λέγειν
καθ' ἡδονὴν σοί τε ἄλγος.

Si quis censeat chorum idem colligere debere quod spectatores, hi versus sane interpolati esse existimandi essent. Sed eos spurios non esse ex toto conexu apparet. nam chorum ad hanc denique sententiam deduci iam indicatum est versu 249. Prometheus enim tria beneficia affert quibus homines affecerit. Quorum primum est quod cum Juppiter homines prorsus exstincturus esset ei obstiterit (v. 230—238). Quod vel chorus peccatum non esse censet; nam verbis summae tantum misericordiae respondet Prometheo (v. 242—247): „Ex lapide sane is factus esse debet, quem cruciatuum tuorum non misereat!“ Sed continuo timore afficitur chorus ne Prometheus longius processerit, id est ne quid fecerit improbi, qui est

v. 249 μή πού τι προύβης τῶνδε καὶ περαιτέρω;

— et eo ipso indicantur versus 261 sqq. Ad quae respondet quidem Prometheus se duabus aliis quoque rebus bene meritum esse de hominibus, cum spem iis dederit et ignem attulerit. Iam chorus Prometheum peccavisse cognoscit (v. 261 sqq.). Quod peccatum non aliud esse potest nisi quod in providendo hominibus longius processerit, quae res confirmatur carmine

v. 526 sqq. ἰδίᾳ γνώμᾳ σέβει
θνατοὺς ἄγαν, Προμηθεῦ.

Iam quaeritur utrum in hac tantum scaena chorus Prometheum peccavisse neque plane iniustum esse Iovem sentiat an per totam fabulam. Videbimus sibi constare chorum. Nam cum Prometheus de inventionibus dicat quas homines docuerit non intellegit qua re ad eas hominibus donandas commotus sit, cum miserum atque imbecillum sit genus humanum:

v. 547 οὐδ' ἐδέρχθης
ὀλιγοδρανίαν ἄκικυν
ἰσόνειρον, ᾇ τὸ φωτῶν
ἀλαὸν γένος ἐμπεποδισμένον.

Immo hac re ei ingenium Promethei aberravisse videtur:

v. 472 ἀποσφαλεὶς φρενῶν πλανᾷ.

Quis enim eum adiuvare potest a quo rursus adiuvari non potest:

v. 545/7 φέρ' ὅπως ἄχαρις
χάρις, ὦ φίλος, εἰπὲ ποῦ τις
ἀλκά; τίς ἐφαμερίων ἄρηξις;

Qui sunt vulgi mores.

Sic denique de Ionis fortuna longe aliter iudicat atque spectatores et Prometheus. Qui Ionis erroribus Iovem esse iniustissimum atque crudelissimum confirmari ostendit:

v. 735 sqq. ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος εἰς τὰ πάνθ' ὁμῶς
βίαιος εἶναι; τῇδε γὰρ θνητῇ θεὸς
χρῄζων μιγῆναι τάσδ' ἐπέρριψεν πλάνας.
πικροῦ δ' ἔκυρσας, ὦ κόρη, τῶν σῶν γάμων
μνηστῆρος.

Quin etiam Io ipsa odit atque damnat Iovem, cum dicat se gavisuram esse si ille regno privetur (v. 757 sqq.). Chorus autem nihil cognoscit de hac iniustitia sed confirmari dicit Ionis fortuna vetus illud proverbium non esse ex usu matrimonium nisi inter pares, cum quotienscumque matrimonium inter virum et mulierem sive divitiis sive genere inter se diversos contractum sit, calamitas inde exorta sit. Quos versus nullo modo ab Aeschylo fingi potuisse affirmat Gerckius[1]) sic demonstrans: „Anderes, was sie vortragen, klingt ganz kleinbürgerlich, so die Warnung vor einer Ehe mit einem Adligen oder einem übermäßig Reichen (v. 886—893), eine hausbackene

---

1) l. l. p. 171.

Lebensregel, wenig für ein Chorlied geeignet, gar nicht dem Aischylos zuzutrauen.“ Quid? Si Pindarus eandem colligit conclusionem ex Ixionis fortuna, qui Iunonis inflammatus erat amore:

Pyth. 2, 33 sqq. χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν
αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.
εὐναὶ δὲ παράτροποι ἐς κακότατ'
ἀθρόαν ἔβαλον,

nonne Aeschylus quoque talem sententiam choro tribuere poterat, praesertim cum non intellegere chorum Iovis in Ionem iniustitiam demonstraturus esset? Chorum autem nullo modo Iovem iniustum existimare maxime ea re probatur, quod ex Ionis fortuna idem colligit quod Supplicum chorus, qui tantum abest ut Iovem crudelem et iniustum in Ionem fuisse putet ut eius sortem levare maxime eum studuisse censeat (cf. v. 295 sq., 571, 579 qua de re infra uberius agam). Testimonii causa afferantur ex utraque fabula quid uterque chorus de Ionis fortuna sentiat:

Suppl. 162 sqq. ἆ Ζὴν 'Ιοῦς· ἰὼ
μῆνις μάστειρ' ἐκ θεῶν·
κοννῶ δ' ἄταν
γαμετῶν οὐρανονίκων
χαλεποῦ γὰρ ἐκ
πνεύματος εἶσι χειμών.

Prom. 902 μηδὲ κρεισσόνων θεῶν
ἄφυκτον ὄμμα προσδράκοι με . . .
905 τὰν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ
μῆτιν ὅπα φύγοιμ' ἄν.

Omnino chori Supplicum et Promethei inter se simillimi sunt, cum uterque imprimis pietate erga deos utendum esse censeat ex qua omnia bona humana oriantur: Nonne Supplicum versus de Iove imprimis colendo, cum omnia regat:

670 τῶς πόλις εὖ νέμοιτο
Ζῆνα μέγαν σεβόντων

τὸν ξένιον δ' ὑπερτάτως,
ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ

simillimi sunt versibus

Prom. 526 μηδάμ' ὁ πάντα νέμων
θεῖτ' ἐμᾷ γνώμᾳ κράτος
ἀντίπαλον Ζεύς

et deinde de ceteris dis colendis versus

Suppl. 704 θεοὺς δ' οἳ γᾶν ἔχουσιν, αἰεὶ
τίοιεν ἐγχωρίους πατρῴαις
δαφνηφόροις βουθύτοισι τιμαῖς

similes sunt versibus

Prom. 529 μηδ' ἐλινύσαιμι θεοὺς ὁσίαις
θοίναις ποτινισσομένα
βουφόνοις παρ' Ὠκεανοῦ πατρὸς ἄσβεστον πόρον.

Quae in Supplicibus Argivis optat ad feliciter vivendum id in Prometheo ut sibi ipsi obtingat optat nisi quod diversis in utraque fabula causis ad ea optanda adductus est: in Supplicibus Argivorum in se gratia et pietate deorum probata (v. 652 ἅζονται γὰρ ὁμαίμους Ζηνὸς ἵκτορας ἁγνοῦ cf. v. 646), in Prometheo Promethei in Iovem immodestia. Itaque quid velit Gerckius[1]) non intellego, qui poetica gravitate carere censet carmina „Selbst die Lieder entbehren zwar öfter der Tiefe wirklich poetischer Gedanken oder der lyrischen Stimmung — aber nie der feinen Durcharbeitung.“ An de primo stasimo ita iudicet? De quo quid mihi dicendum videatur, paulo infra exponam. Apparet igitur et chorum per totam fabulam sibi constare sive quomodo in Prometheum sive quomodo in Iovem se habeat atque de utriusque facto cogitet et dicta eius non aliena esse ab Aeschyli ingenio. Neque igitur ob eam rem ullam fabulae partem spuriam esse ostendi potest.

Iam transeamus ad alteram partem. Nam mores Promethei quoque sibi repugnare nuper affirmavit Ger-

1) l. l. p. 171.

ckius [1]) qui

v. 270/2 οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ᾠόμην τοίαισί με
κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις
τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου.

Prometheum quendam describi dicit qui ut ipsius utar verbis „frühzeitig anfängt mürbe zu werden", et quod versus et antecedentes et sequentes ei nullam habere offensionem videntur, hos versus ab histrione quodam interpolatos esse dicit. Sed egregie cum toto versuum contextu congruunt: Chorus ex Promethei narratione cognovit hunc contra Iovem peccavisse (261/2). Dolori ei est quod id Prometheo dicere cogitur (v. 262) neque in hac re commemoranda perseverare ei iucundum est (v. 263), sed hortatur Prometheum, ut de libertate recuperanda cogitet. Quibus consiliis inutilibus atque leviter datis Prometheus magno animi dolore afficitur, cum talem adhortationem unusquisque misero cuidam dare possit (v. 265/6). Neque enim se commisisse hoc factum superbia commotum, sed consulto (v. 267) et ea tantum sententia, ut homines adiuvaret. *Quomodo se suspicari potuisse se tantis cruciatibus affectum iri pro ea re!* Qui sunt versus 270—273.

Talis est finis verborum Promethei quotiens factum suum atque poenam describit, nullam esse rationem inter factum et poenam:

v. 109/10 θηρῶμαι πυρὸς
πηγὴν κλοπαίαν. . . .
112 τοιῶνδε ποινὰς ἀμπλακημάτων τίνω
ὑπαιθρίοις δεσμοῖς πεπασσαλευμένος.

Itemque v. 228 sqq., 241 sqq. Versus igitur suo loco sunt.

Iam paulum subsistamus ut omnino num orationum Promethei natura congruat cum Aeschyli ratione in ceteris fabulis adhibita examinemus. Atque quam rationem in Supplicibus sequatur recte observavit G. Muellerus [2])

1) l. l. p. 167.
2) Diss. Hal. 1907/08, p. 56 sqq.

in sua de Supplicum tempore atque indole dissertatione eam scilicet, ut ii qui loquuntur eo redeant unde inceperunt et sententia in initio posita in fine iteretur. Cuius rei ut exemplum afferam, primis verbis

v. 176 παῖδες φρονεῖν χρὴ

ultima respondent

v. 203 θρασυστομεῖν γὰρ οὐ πρέπει τοὺς ἥσσονας,

quae res in omnibus huius fabulae orationibus observata est, ut vv. 249—273, 277—289, 517—522, 605—625. In reliquis autem fabulis singillatim haec simplicis et parum excultae orationis forma occurrit, ut Pers. 683—693, Agam. 810—851, Choeph. 86—100, 734—765, cum saepius iam orationes ita compositae sint, ut ad alium finem atque initium erat perveniat oratio, exempli causa Agam. 504 sqq., 588—614, 855 sqq., 1178 sqq., Choeph. 269 sqq. At in Prometheo compluribus locis veterem illam rationem Aeschyli inveni, velut versibus 346 sqq. Prometheus Oceanum, qui ad amicitiam suam probandam Iovem adire paratus est ut Prometheo veniam det, admonet ne sibi ipsi nimio amicitiae studio perniciem paret:

v. 346 ἀλλ' ἡσύχαζε σαυτὸν ἐκποδὼν ἔχων·
ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰ δυστυχῶ τοῦδ' οὕνεκα
θέλοιμ' ἂν ὡς πλείστοισι πημονὰς τυχεῖν.

Deinde postquam ex Atlantis et Typhonis exemplis quam crudelis sit Juppiter exposuit, denuo Oceanum admonet his verbis,

v. 376 sqq. σεαυτὸν σῷζ' ὅπως ἐπίστασαι·
ἐγὼ δὲ τὴν παροῦσαν ἀντλήσω τύχην.

Item ubicumque de facto aut de beneficiis suis loquitur et initio et in fine orationis quo animo verba sua dicta esse velit indicat, ut v. 199 sqq., ubi quam ob rem a Iove deprehensus et multatus sit choro explanaturus est sic incipiens:

ἀλγεινὰ μέν μοι καὶ λέγειν ἐστὶν τάδε,
ἄλγος δὲ σιγᾶν, πανταχῇ δὲ δύσποτμα,

et finem faciens verbis eundem dolorem cruciatus in memoriam revocandi significantibus:

v. 223 sqq. τοιάδ' ἐξ ἐμοῦ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος ὠφελημένος
κακαῖσι ποιναῖς ταῖσδέ μ' ἀντημείψατο.

Eodem modo inter se pares sunt versus 437 sqq. et 469 sqq., 476 sqq. et 507 sq. Quaerentibus cur in Supplicibus potissimum et Prometheo poeta adhibuerit hanc orationum compositionem id statuendum est in his fabulis mininam omnium actionem inesse et plurimi interesse demonstrari quo animo et ad quam rem probandam dicta sint verba alicuius, cum in ceteris fabulis oratio alicuius plerumque novam actionem sive loquentis ipsius sive alterius moveat, cuius rei splendidissimum exemplum est Septem fabula, in qua nusquam in talem orationis formam incidimus, cum aut nuntius in fine orationis Eteoclem adhortetur ut opponat virum aliquem fortem adversario modo commemorato aut Eteocles ipse quid facturus sit exponat. Optime igitur quadrat orationum Promethei compositio ad Aeschyli rationem. Id tamen commemorandum esse censeo in Ionis scaena poetam non ut in priore fabulae parte Supplicum morem sed recentiorum fabularum secutum esse sive in Ionis de fato suo narratione v. 640 sqq., ubi facillimum erat et initio et in fine quanto Iovis odio Io haec omnia narret exponere sive in Promethei praesagiis et de Ionis et Iovis et sua ipsius futura fortuna dictis.

Iam ut redeamus ad quaestionem institutam quaerendum est utrum horum 270—273 versuum Prometheus aliter se habeat atque in reliquis fabulae partibus an non. Atque id sane concedendum est Prometheum hoc loco fortunam suam miserari, idque ipsum Gerckii offensionem movit, qui talem heroem debere tacere in rebus adversis exspectare videtur, quae erat Welckeri[1]) quoque sententia qui ut taceat Prometheus in prima scaena effectum esse existimat animi magni vel ut ipse dicit „die Er-

1) Tril. Prometheus p. 21.

habenheit des Mutes und der Erduldung“, quae res persaepe quidem virorum magnorum vita probatur[1]). At Aeschylum longe diversum heroem sibi finxisse ex insequentibus versibus iam apparet:

v. 276 πίθεσθέ μοι, πίθεσθε συμπονήσατε
τῷ νῦν μογοῦντι· ταὐτά τοι πλανωμένη
πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει,

ubi idem est mollis Prometheus qui antea. Cur enim, nisi talis esset, oraret atque obsecraret chorum — respicias duplex illud πίθεσθε. Quae Promethei sententia si in Oceanidum tantum scaena exstaret, hi versus spurii iudicandi essent, sed idem repetit in Ionis scaena v. 636—639[2]): fortunam deflere et miserari ubi ab audientibus lacrimas fortasse feres, dignum est in quo moreris. Atque omnino eum querelas viro forti et constanti indignas non esse existimare iam apparet ex versu 615, quo Ioni dicit se desiisse modo fortunam miserari:

ἁρμοῖ πέπαυμαι τοὺς ἐμοὺς θρηνῶν πόνους.

Quin etiam post primum chori canticum Prometheus excusat quod tam diu tacuerit:

v. 436/7 μή τοι χλιδῇ δοκεῖτε μηδ' αὐθαδίᾳ σιγᾶν με.

Est igitur Prometheus non tacitus heros. Nec minus in

---

1) Ut recte Wellhausenius verba illa Jesu a Luca evangelista (c. 23, 28 sqq.) de Hierosolymorum ruina allata re vera dicta esse negat: Einl. in d. drei synopt. Evang. p. 56: „Bemerkt zu werden verdient besonders, daß das beredte Schweigen des Martyriums bei Markus durch ein rührseliges rhetorisches Element gestört wird. Jesus unterredet sich auf seinem letzten Gange erbaulich mit dem jammernden Gefolge und sogar noch am Kreuz mit den Schächern“.

2) Quanta sint auctoritate scholia Parisina (A), quae Wilamowitzius restituit Herm. 25, 101 sqq., hoc ipso loco optime ad oculos demonstratur:

A habet: τοῦτο τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι πᾶς ὅστις μέλλει οἴσεσθαι δάκρυ καὶ οἰκτειρηθῆναι παρὰ τῶν ἀκουόντων, ἀξίαν τριβὴν καὶ ἐπιμονὴν τῆς διηγήσεως ἔχει ἐκεῖ.

At M plane mutilum hoc:

διαγωγὴν διήγησιν ἀξίαν ἔχειν τὸ εἰπεῖν.

Oceani conspectu miseretur fortunam (v. 308. 377) itemque in monologo:

v. 98/9 φεῦ φεῦ τὸ παρὸν τό τ' ἐπερχόμενον
πῆμα στενάχω. —.

Sed *soliloquium* Promethei ipsum quoque ab Aeschylo alienum esse dicitur. Primumque non exstare in eo continuum sententiarum progressum contenderunt viri docti. Bethius[1]) enim vv. 93—100 quadrare ad verborum conexum negat quod idem proferant quod antecedentes trimetri. Sed v. 92 Prometheus id tantum exprimere vult quanta iniuria affectus sit cum ipse deus sit. At vv. 93—100 aeternos futuros esse cruciatus demonstrat, id quod egregie illustravit poeta gravibus anapaestis non solutis:

δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν
διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
χρόνον ἀθλεύσω.

Statim v. 96, ubi denuo ira in Iovem incenditur Prometheus, hac ratione rursus desistit poeta, nam compluribus locis dissolutae sunt longae syllabae:

δέσμον ἀεικῆ, πῆμα στενάχω, πῇ ποτε

Quis autem poetae, qui intra unum metrum tam subtiliter distinguit ut varios sensus proferat, non tribuat ius ut pro iambis narrationis et sermonis anapaestos descriptionis substituat. De metris monologi omnino valent quae Wilamowitzius[2]) dicit: „Dem Wechsel der Rhythmen entspricht so, wie es nur einem Meister gelingt, der Wechsel des Tones:“ Initio implorantur elementa, tum queritur contumeliam suam, deinde aeternos futuros esse cruciatus vaticinatur; iam inflammatur ira Iovis qui harum omnium rerum auctor fuerit, postremo autem sedatur oratio, cum innocentem se esse sibi conscius sit id reminiscens se magno beneficio affecisse homines. Statim autem denuo ex contemplatione eripitur strepitu inopinato

1) l. l. p. 163.
2) Herm. 32, 387 Adnot.

alarum currus Oceanidum, et quantopere perterreatur illustratur baccheis et dochmio versuum 115—117. Expositionis quidem nihil novi affert monologus, certe quidem nihil novi facti. Attamen, quamquam idem ignis raptus et v. 7 et v. 105 commemoratur, magnam esse discrepantiam censeo quo animo utroque loco commemoretur. Robur enim Prometheum magnopere peccavisse in summum deum probare vult, cum Prometheus rem iterum sibi in mentem vocet demonstraturus se innocentem esse. Poena enim tam gravis est, ut nullo modo cum parvo peccato comparari possit. Primum igitur hoc loco id quod poeta iterum iterumque pronuntiat Iovem iniustum esse in luce collocatur. Atque hoc ipso tempore ad hanc sententiam adduci Prometheum consentaneum est. Nam actionibus et vinciendi et affigendi confectis necessitate quadam animi Promethei affectus moventur, atque vehementissime quidem angor ille intolerabilis ne aeternus cruciatus in hac solitudine perferendus sit. Quam enim in conscribendo monologo poeta sententiam habuerit, Leo [2]) dilucide his verbis explanavit „er wollte einen Augenblick die Einsamkeit wirken lassen, . . . die Stimmung des Helden ausdrücken.“ Iam quaeritur utrum hic monologus suo iure locum suum obtineat an cum sequenti scaena comparatus plane supervacaneus esse videatur. Nam eam quoque quaestionem Leo primus movit cum pergat l. l. „aber daß auch das dem Gespräch mit den Okeaniden vorbehalten werden konnte, lehrt die Wiederkehr der eigentlich den Monolog motivierenden Wendung:“

v. 116 ἀλλ’ οὔτε σιγᾶν οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας οἷόν τέ μοι τάσδ’ ἐστίν

in diesem Gespräch

v. 197 ἀλγεινὰ μέν μοι καὶ λέγειν ἐστὶν τάδε, ἄλγος δὲ σιγᾶν.

Sed mihi declarari videtur ex tota fabulae ratione quam poeta in commutandis animi Promethei motibus secutus

---

1) l. l. p. 7.

est. Quanta enim est discrepantia inter prima monologi verba δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν et

v. 938 sqq.: δράτω κρατείτω τόνδε τὸν βραχὺν χρόνον
ὅπως θέλει· δαρὸν γὰρ οὐκ ἄρξει θεοῖς.

Cum illic plane desperare de salute videatur Prometheus cogitans se aeterno cruciatu vexatum iri, hic contemnit brevitatem temporis et tanto spiritu se attollit in Iovem ut Mercurium, eius nuntium, acerbissimis verbis reiciat eius rei sibi conscius se Iovi non solum parem esse viribus animi sed superiorem. Tantum igitur affectuum progressum evolvendum sibi proposuerat poeta. Cuius primus gradus est Oceanidum scaena. Incipit quidem lamentationibus Prometheus (v. 141 sqq.), sed brevi magnopere augetur eius animus (v. 168 sqq.), qua re affectus animi paulatim sedantur ita ut factum suum considerare possit, id quod narratione versuum 195—256 de cruciatibus suis instituta fit. Quae quamquam calamitates iam monologi versibus 106 sqq. indicantur, tamen eo loco quam graves sint animi dolores Promethei significatur. cum his versibus 223 sqq., 239 sqq. rem sui purgandi causa commemoret Prometheus. Sin autem Aeschylus primo Prometheum desperantem fingere in animo habebat, solitudo aptissimus huius rei locus erat. Proximo episodio (v. 436 sqq,) animus Promethei etiam magis auctus est, cum omnem hominum cultum atque humanitatem a se orta esse sibi conscius sit (v. 442 sqq.). Sed ibi quoque ad praedicandam vim animi sui et beneficia incitatur praesenti calamitate quam iterum iterumque commemorat. Et in Ionis denique scaena, quamquam Prometheus quo magis ex vaticiniis Ioni datis se Iovi non solum parem sed etiam superiorem esse sibi conscius fit eo magis calamitatum obliviscitur, tamen semel poeta caligine, ut ita dicam, obtectam facit lucem. Cum enim Io ex calamitatibus futuris pronuntiatis paene desperatura sit (v. 747 sqq.) et mortem desideret, Prometheus: „Iam lamentaris“, inquit, „his parvulis cruciatibus; quomodo meam miseriam perferre posses, qui mortis particeps non sim (v. 752 sqq.).“ Simili

modo, quo in hoc monologo et Oceanidum scaena progrediuntur animi Promethei affectus, in primis Septem fabulae canticis v. 78 sqq. et 288 sqq. de chori moribus fit: In utroque idem est argumentum, — ut in Prometheo narratio facinoris —, di enim implorantur ut virginibus laborantibus auxilium ferant. Quanta autem est discrepantia animi affectionis et poetici sermonis! Cum priore desperationis illa exclamatio

v. 90 τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει θεῶν ἢ θεᾶν;

omni modo variata usque ad finem carminis revertatur, altero, quamquam timore nondum liberatum se esse dicit chorus, tamen cum explanet quam fertilis disque grata sit haec terra et quanta futura sit miseria si urbs diruatur et mulieres in servitutem abducantur et virginum flos ante tempus frangatur, multo sedatius deos ne se et patriam deserant obsecrat. Sic soliloquium quoque suo iure locum suum obtinere censeo praeter Oceanidum scaenam.

Sed non solum his poeticis rationibus Aeschylum commotum esse censeo ut Prometheum iam ante parodum loquentem induceret, sed etiam artis scaenicae. Nam si Vulcani scaenae statim parodum adiunxisset, princeps actor fabulae qui iam ab initio fabulae in scaena fuerat, per duas scaenas mutus et expers actionis fuisset. Quodsi quis dicat Aeschylum eum in prima scaena loquentem facere potuisse, id quoque imprimis rationibus artis scaenicae fieri non poterat, nam primum loqui personam iam tum, cum per scaenam trahatur et vinciatur et trans pectus transfigatur etiam illis temporibus non satis magnam veritatis speciem prae se tulisse existimo — Promethei autem personam pupo repraesentatam esse cum Roberto [1]) pro explorato habeo. Tum demum cum vinciendi actio confecta est, Promethei igitur figura tranquilla pendet, veram personam esse eam spectator sibi fingere poterat. Deinde autem cum Roberto verisimilli-

1) Herm. 31, 563.

mum esse puto Vulcanum Promethei personam egisse, nam de scaena abit compluribus versibus ante Robur et Vim, ea scilicet de causa, ut in interiorem partem saxi perveniat, unde Promethei verba faciat. Opponat quispiam statim Promethei cum choro colloquium fieri. Sane quidem, sed primo statim chori ingressu dialogus non fit apud Aeschylum nisi gravissima causa inductus. Nam in universum tanta apud eum vis parodi est, ut actorum dialogus post eam demum incipiat[1]). Sic chorus Choephororum, quamquam Electra una cum eo scaenam ingreditur primum cantat carmen suum, deinde demum cum ea sermonem init. In Prometheo ea re dialogus movetur, quod Prometheus chori adventu vehementissime perterretur. Soliloquium autem ipsum ut supra vidimus ea re movetur, quod plane se desertum mansurum esse in aeternum sentit Prometheus, ita ut quod Leo[2]) de monologis Aeschyli statuit: „Äschylus verlangt für Rede und Spiel der einsam auftretenden Person eine besonders kräftige Motivierung“, in hac fabula non minus accidat quam in custodis Agamemnonis et sacerdotis Eumenidum monologo. Nihil igitur habemus, cur hunc monologum Aeschylo abiudicemus.

Quibus rebus pertractatis paululum redeamus ad Vulcani scaenam ut quid de ea mihi dicendum videatur exponam. Graeberus propterea hanc scaenam ab Aeschylo alienam esse putat, quod statim ab initio dialogi forma composita sit. In ceteris fabulis Aeschyli prologos tantum exstare, ut in Septem fabula tres orationes subsequentes, non dialogum. Sed Eumenides quaeso inspicias. Haec quoque in tribus orationibus incipit fabula, sed inter Apollinem et Orestem iam dialogum excultum invenimus:

v. 64 Apollo: οὔτοι προδώσω, διὰ τέλους δέ σοι φύλαξ.
v. 85 Orestes: ἄναξ Ἄπολλον, οἶσθα μὲν τὸ μὴ' δικεῖν
v. 88 Apollo: μέμνησο, μὴ φόβος σὲ νικάτω φρένας.

1) P. Graeber, De poetarum Atticorum arte scaenica quaestiones quinque Diss. Gotting. 1911 p. 42.

2) Monol i. Dr. p. 27.

Itemque sacerdotis Eumenidum monologum iam perpolita compositione, plane simillimum custodis Agamemnonis fabulae, fictum esse Leo[1]) demonstravit. Agamemnonis enim custodis monologus ipso actionis initio interrumpitur:

v. 22 ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτὸς . . .;

cum conspiciat ignis lucem, itemque in Eumenidibus sacerdos medio in monologo introit in Apollinis templum ex quo statim maxime perterrita adspectu Eumenidum se eicit quae viderit terribilia describens

v. 34: ἦ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν.

Eo igitur artis dramaticae Aeschylus interea progressus erat, ut prologi orationes dramatica actione indueret et dialogos faceret[2]). Id omnino respiciendum est apud Aeschylum non certas artis dramaticae leges statui posse, sed ingentis ingenii admirabilem progressum. Sic in Prometheo quoque nihil aliud habemus nisi quod in Eumenidibus adhibetur. Id autem pro certo affirmare possumus Aeschylum, si huius dialogi artis iam peritus fuisset cum Septem conscriberet, ea usurum fuisse. Neque enim quicquam erat magis consentaneum quam inter Eteoclem et nuntium dialogum institui. Itaque inde quoque concludi potest Prometheum post Septem conscriptam esse.

Iam transeamus ad Oceanidum scaenam. Graeberum offendit, quod Oceanides indicentur, quamquam deae sint, cum di deaeque apud Aeschylum nusquam indicentur. Sed Oceanidum adventus longe alia res est atque ceterorum deorum. Nam ut di non pronuntientur ea de causa fieri apparet quod unusquisque deos ex cultu atque habitu agnoscebat notis ex arte sculptorum pictorum poetarum. Oceanides autem non modo non eodem numero atque loco quo illi habendi sunt sed multo inferiores quam Prometheus et in hac, ut ita dicam, „deorum“ fabula non mai-

---

1) Monol. i. Dr. p. 7/8.

2) Qua de causa Prometheus fabula non multo ante Orestiam composita esse videtur mihi.

orem vim habent quam chori ceterarum fabularum ex hominibus constantes, ut postea, v. 941—943 Mercurius quoque qui eadem de causa indicatur. Nonne etiam Eumenidum chorus quae ipsae quoque deae sunt, a sacerdote multis verbis indicantur, v. 35 sqq.?

Praeterea Graebero[1]) ab Aeschyli arte scaenica videtur alienum esse quod chori parodus commatice compositus sit. Talia exempla ex Euripidis Medea demum percrebrescere. Sed nonne Eumenides simile aliquid praebent? Ne ibi quidem chorus primo canticum suum cantat quamquam plerumque apud Aeschylum ita fit, sed Clytaemestrae umbra chorum somniantem alloquitur, et quamquam chorus illius verbis non respondet tamen dialogi forma ea re efficitur quod verba Clytaemestrae clamoribus chori somniantis interrumpuntur ad quos Clytaemestra deinde respondet. Finis vero iustam dialogi formam habet:

v. 130 chorus: λαβὲ λαβὲ λαβὲ λαβὲ φράζου.
131 Clyt. ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγαίνεις δ' ἅπερ . . .

ad quae adicit adhortationem

133 τί δρᾷς; ἀνίστω μή σε νικάτω πόνος

et 139 ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν,

qua ex somno excitatur chorus et victimam elapsam investigare incipit. Quin etiam ipse in carmine suo confitetur se in somno convicia audivisse:

v. 155 sqq.: ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ
ὀνειράτων μολὸν ἔτυψεν δίκαν
διφρηλάτου μεσολαβεῖ κέντρῳ
ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβὸν . . .

Quis autem non admiretur poetae ingenium qui Shakespeari vere vi mortuae umbram obversantem animo chori et cum eo colloquentem fecerit? Cur autem rem sic instituit? Eo nimirum consilio ut eo accuratius mores horum monstrorum significaret. Tantus enim est furor

1) l. l. p. 43.

eorum, ut etiam in somno se investigare victimam sibi devotam existiment. Eadem re ad Oceanidum scaenam ita ut nunc habemus componendam commotus est poeta. In reliquis enim fabulis quales chorus mores habeat ipsa eius persona probatur. Senatus Persarum fabulae, qui statim ab initio Περσῶν τὰ πιστὰ se appellat, nullum alium locum obtinere potest nisi ut regi quam maxime deditus sit; puellas Septem fabulae nihil aliud petere nisi ut urbem tueantur di per se perspicuum est; senes Agamemnonis ubi actionis participes sunt, adversarii Clytaemestrae et Aegisthi sunt. Ubi autem a principio non apertum est cuius partes chorus sequatur, ut in Choephoris utrum chorus Clytaemestrae partes an liberorum Agamemnonis sequatur, poeta haud ambiguis ab initio verbis quid sentiant virgines exposuit: Oderunt Clytaemestram, nam ea ipsa interfecit Agamemnonem et dis ipsis odio est (v. 45—46), sed talia verba non domi sed in Agamemnonis tumulo tantum ubi domina nihil audit eloqui licet, cum vi sola sustineatur huius mulieris imperium, timore perterreantur omnes cives (v. 46 et 51). Nonne igitur simillime atque Oceanides fluctuantur animo, quid faciant, ea tantum discrepantia, ut in Prometheo Oceanidum timor paulatim in Iovis reverentiam mutetur, cum Iovem esse maximum et potentissimum deum cognoverint, Choephororum timor actione fabulae progrediente ad odium magis magisque enascatur, maxime in carmine v. 585 sqq. Sic igitur quo modo chorus Oceanidum se haberet in luce ponendum erat, isque ipse est finis dialogi inter Prometheum et chorum instituti. Amicissimum quidem Promethei esse chorum ex ipsa affinitate apparet; quomodo autem illa verba versuum 542—544

Ζῆνα γὰρ οὐ τρομέων
ἰδίᾳ γνώμᾳ σέβει
θνατοὺς ἄγαν Προμηθεῦ

intellegi possunt, si antea non cognovit chorus Prometheum peccavisse! Hoc igitur carmine (v. 526 sqq.) postulantur versus 261 sqq., id est Oceanidum scaena ex con-

textu solvi non potest, cum iam supra (p. 19 sqq.) hos versus 261 sqq. ex Oceanidum scaena dirimi non posse viderimus.

Dialogi autem forma eo minus ab Aeschyli arte abiudicanda est quod gradatim quomodo parodus ad dialogi formam enascatur persequi possumus. Atque primum quidem Supplicum parodum inspiciamus. Totum carmen plane lyrice conditum est, nisi quod sub finem infulas scindunt. Reliquis locis ingens non solum animi motus sed etiam corporis concitatio versibus non illustratur, cum identidem versus repetantur qua re tranquillitatis species etiam augetur, ut v. 120/3 = 131/3, 141/3 = 152/4, 163/8 = 175a—f. Quando autem poeta didicerit θρῆνον talem dramatice fingere ex Septem fabulae parodo apparet, v. 78—180, ubi ipsae quoque puellae timore periculi perterritae deorum auxilium implorant. Ibi enim puellae trepidantes aras deorum amplectuntur (v. 98), et tantopere excitatus est animus eorum, ut modo sonitum clipeorum, modo pilorum strepitum se audire opinentur (v. 103). Quam singulari arte, ita ut rem oculis cernere videaris hostes advolantes depinxit: Surgunt (v. 89), procul spectantur eorum clipei solis radiis splendentes (v. 89), pulvis movetur (v. 81/82), crepitant currus (v. 15), fragorem edunt axes (153), omnia autem complentur clamoribus hostium (v. 88). At in Supplicibus choro etiam tempus est querelas suas comparare cum Philomela, cuius totam fabulam enarrat v. 58—68. Quis non concedet ab hoc vere dramatico tenore parodi Septem fabulae, ubi iam singuli versus inter diversas partes chori distribuuntur, personae igitur vices quasdam peragunt, usque ad Prometheum et Eumenides parvum esse spatium.

Praeterea idcirco Oceanidum scaenam ab Aeschyli arte alienam esse existimaverunt quod Oceanides curru volucri advolant. Iure Robertus [1]) contra exposuit duobus locis testimonio confirmari Aeschylum tali curru

1) Herm. 31, 569.

usum esse: primum in Psychostasia (secundum Pollucem IV, 130) Aurora corpus filii necati sublatum in auras asportavit, id quod machina tantum fieri poterat. Deinde Athena in Eumenidibus scaenam ingrediens sic loquitur

v. 403: ἔνθεν διώκουσ' ἦλθον ἄτρυτον πόδα
πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος
πώλοις ἀκμαίοις τόνδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.

Wilamowitzius quidem v. 405 ut spurium eiecit quod antecedentibus repugnet. Sed nonne Oceanidum quoque chorus curru volucri advehens primum, cum de modo advehendi loquatur, de volando dicit:

v. 129/30 πτερύγων θοαῖς ἁμίλλαις προσέβα.

Subiectum huius enuntiati est „chorus“, cuius de alis sermo est, eaque est metaphora, ut alae currus ut chori significentur. Sed iam in hac figura ea est inconstantia, ut πτερύγων, verbum volandi, cum προσέβα verbo eundi coniungatur. Iam pergit

v. 135 σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ.

Transit igitur nulla re intermissa ad verbum vehendi. Eodem igitur triplici modo celer ille motus significatur ut volare, ire, vehi. Haec scilicet est figura poetica, ut illud vehi per aërem hominibus illorum temporum ignotum primum explicetur verbis volandi et eundi. Quam insueta spectatoribus haec notio fuerit adiectivo „ἀπέδιλος“ v. 135 addito optime illustratur.

Cui disputationi aliam rem adnectam a Roberto quoque eodem conexu tractatam, quaestionem scilicet de θεολογείῳ, qua ex re novum secuturum esse censeo argumentum Aeschylum esse auctorem huius fabulae. Neque enim Roberti sententiam sequi possum cum affirmet etiam θεολογεῖον Aeschylo usitatum fuisse nixus adnotatione scaenica de Psychostasia allata apud Plut. de aud. poet. p. 17 A: τραγῳδίαν ὁ Αἰσχύλος ὅλην τῷ μύθῳ περιέθηκεν ἐπιγράψας Ψυχοστασίαν καὶ παραστήσας ταῖς πλάστιγξι τοῦ Διὸς ἔνθεν μὲν τὴν Θέτιν, ἔνθεν δὲ τὴν Ἠώ, δεομένας ὑπὲρ τῶν υἱέων μαχομένων. Robertus fieri potuisse negat ut scaena

modo Iovis domus, modo campus Troicus esset ubi inter se certabant pugnantes. „Soll nun Zeus", inquit, „an derselben Stelle die Seelen abgewogen haben, wo später die Leiche des Memnon liegt?" Sed si conferimus Persas, invenimus ibi quoque illud ἀρχαῖον στέγος non solum senatus curiam esse sed etiam tumulum ex quo Dareus sursum ascendat. Nihil igitur habemus cur Iovem in Psychostasia locum elatiorem occupavisse iudicemus.

Alterum argumentum haurit ex Polluce IV, 130 ἀπὸ δὲ τοῦ θεολογείου ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνὴν ἐν ὕψει ἐπιφαίνονται θεοί, ὡς ὁ Ζεὺς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἐν Ψυχοστασίᾳ, id est certissimum de hac fabula testimonium. Sed conferamus quomodo di appareant in fabulis Aeschyli servatis: In Eumenidibus Apollo pari cum Oreste loco apparet, in templo suo. Apollinem ipsum in templo esse apparet ex

v. 196/7 χωρεῖτ' ἄνευ βοτῆρος αἰπολούμεναι,
ποίμνης τοιαύτης δ' οὔτις εὐφιλὴς θεῶν.

Expellit Eumenides ut pastor gregem ex stabulo nisi quod ipse illa monstra non sequitur. Si in loco elatiore Apollo esset, comparatio illa absurda esset. Postea Apollo testis adhibetur in iudicio, inde a

v. 576 καὶ μαρτυρήσων ἦλθον.

Si poeta a dei dignitate non alienum esse putavit eum testem esse in iudicio de homine quodam instituto, etiam sedem Apollinem non in θεολογείῳ quodam sed iuxta accusatum occupavisse certum est. Vulcanum quoque in Prometheo in scaena ipsa versari per se constat neque mirum est cum tota fabula inter deos agatur. Id igitur apertum est Aeschylum non necessarium esse censuisse deorum dignitatem ea re indicari ut elatiore loco quam homines prodirent. Ubi autem progrediente fabulae actione subito deos in scaenam prodeuntes facit, ut Athenam in Eumenidibus, non solum cur tam celeriter appareant et omnino quomodo ad eum locum quo agitur fabula pervenerint utrum volando an vehendo sed etiam quo vehiculo (v. 405) venerint, declarat. Mercurii adven-

tum non accurate describi (Prom. 996) ex dei natura apparet, cum pedum pennulae satis declararent modum apparendi. Pollucis igitur locum ex posteriorum temporum arte scaenica desumptum esse colligitur. Aeschylum ne in Psychostasia quidem θεολογεῖον adhibuisse ea re probatur quod in Orestia fabula, ne vestigium quidem talis machinae exstat. Ad hanc autem rationem optime quadrat Prometheus fabula. Neque enim Oceanidum tantum adventus eodem modo quo Athenae ut iam supra vidimus describitur (v. 128 sqq.), sed etiam Oceani

v. 286 ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου
διαμειψάμενος πρός σε Προμηθεῦ,
τὸν πτερυγωκῆ τόνδ' οἰωνὸν
γνώμῃ στομίων ἄτερ εὐθύνων.

Θεολογεῖον igitur neque in ceteris fabulis Aeschyli neque in Prometheo adhibitum esse constat, nam si talis machina iam exstitisset tum, longis ambagibus descriptionis non opus fuisset poetae. Qua re novum argumentum affertur Aeschyli esse hanc fabulam Prometheum. Nam si Euripidis temporibus condita esset, valde mirum esset cur poeta tali machina non usus esset, cum in Euripidis fabulis θεολογεῖον exstare[1]) longe diversa ratione probetur qua di se ipsos indicant, ut Orestes 1626

Μενέλαε, παῦσαι λῆμ' ἔχων τεθηγμένον·
Φοῖβός σ' ὁ Λητοῦς παῖς ὅδ' ἐγγὺς ὢν καλῶ,

itemque Electr. 1238, Ion 1550, Hercul. 822.

Id igitur pro Aeschyli ratione discrimen est ut non quomodo aut quo vehiculo venerint di exponant, sed qui sint tantummodo et adesse se. Spectatoribus igitur notum erat quomodo apparerent.

Ubi autem apud Euripidem di in scaena ipsa apparent, non in θεολογείῳ — ut in omnibus deorum prologis casu fit, ut in Troadibus, Alcesta, Ione, Bacchis, Hippolyto, Hecaba — res ita se habet, ut numquam una cum choro vel actoribus in scaena maneant, sed ante eorum

1) cf. Wilam. Herakl.[2] p. 148/9.

adventum discedant aut causa aliqua ficta, ut in Ione Mercurius appropinquante Ione dicit

v. 76 ἀλλ᾽ ἐς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε
τὸ κρανθὲν ὡς ἂν ἐκμάθω παιδὸς πέρι

aut nulla causa interposita — qua re optime illustratur quam non dramaticis rationibus a scaena removeantur di sed poetae tantum licentia —, ut Hippol. v. 51 sqq. Venus abit his verbis:

ἀλλ᾽ εἰσορῶ γὰρ τόνδε παῖδα Θησέως
στείχοντα θήρας μόχθον ἐκλελοιπότα,
Ἱππόλυτον, ἔξω τῶνδε βήσομαι τόπων.

Quo exemplo elucet quam acriter deos partes agentes Euripides ab hominibus seiunxerit. Prometheus autem fabula non huius aetatis rationem sequitur, sed Aeschyli, cum et Prometheus et Oceanides, quamquam di sunt, non vereantur cum Ione puella scilicet mortali colloqui, id quod cum Eumenidum fabula plane consentit. Ergo hac quoque de causa Aeschylo tribuenda est fabula.

Restat ut de toto Oceanidum scaenae argumento disseramus. Bethius enim id quoque sibi repugnare in fabula contendit, quod in prologo (v. 7 et v. 109) ignis furtum, in Promethei narratione quod genus humanum ab interitu servaverit (v. 226) causa poenae proferatur. Contra haec Robertus [1]) primus iam exposuit etiam altero loco non solum homines ab interitu servatos esse sed etiam ignis furtum commemorari (v. 253—257). Quae autem causa fuerit cur poeta hoc altero loco complures causas poenae Promethei enarraverit ex duplici fine quem in hoc libro conscribendo habebat cognoscemus. Quod spectatores et Prometheum ipsum attinet iis rebus propter quas a Iove multatus est allatis Prometheus expurgatur, Juppiter accusatur, ut supra vidimus. Cui rei chorus, ut erat eius et in Iovem et in Prometheum animus assentiri non poterat. Partim igitur Prometheum innocentem esse exprimi debebat, quod fit versibus 235 sqq., qua in

1) Herm. 31, 574.

re ne choro quidem culpa inesse videtur (v. 244—247), partim Prometheum noxium esse. Spectatores enim et Prometheus reliquas duas res gestas, et spem hominibus allatam (v. 252) et ignem (v. 254) non alio sensu intellegunt atque primam. Sed chorus ignis raptum non iam probare potest, quod ea re Iovis iram incitavit Prometheus. In factis suis non minus ultra modum processit (v. 249 et maxime v. 507 μή νυν βροτοὺς μὲν ὠφέλει καιροῦ πέρα) quam in verbis (v. 182), peccavit igitur.

Restat iam una difficultas in Oceanidum scaena: Stasimum v. 399 sqq. initio verbotenus fere sententias repetit quas chorus iam in Oceanidum scaena protulit:

v. 143 sqq. φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις
ὁμίχλα προσῆξε πλήρης
δακρύων

iidem fere sunt qui

v. 400 sqq. δακρυσίστακτον δ' ἀπ' ὄσσων
ῥαδινῶν λειβομένα ῥέος παρειὰν
νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς.

porro

v. 150 νεοχμοῖς δὲ δὴ νόμοις Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει

idem fere qui

v. 403 ἀμέγαρτα γὰρ τάδε Ζεὺς ἰδίοις νόμοις κρατύνων

denique

v. 151 τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν αἰστοῖ

idem fere qui

v. 405 ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς
πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν.

Sed id quoque facile declaratur. Nam v. 143 sqq. et 150 sqq. in hanc deorum veterum ruinae sententiam incidit chorus quod Promethei exemplo illa res ante oculos ponitur. In Oceani autem scaena, quae huic carmini antecedit, denuo memoria harum rerum mota est commemorata ruina Atlantis et Typhonis. Ergo versus 399—406 ad rem modo commemoratam respiciunt. De argumento non aliter se habent inter se Oceanidum scaena et hoc

stasimum atque Septem fabulae prima duo stasima quae a pari causa ordientia, cum di ut urbem servent implorentur, postea ad sententias longe diversas perveniunt. In Oceanidum enim scaena suam ipsius tantum misericordiam explicaverat chorus, in hoc carmine totius orbis terrarum misericordiae nuntius est: Omnes enim gentes usque ad extremas regiones habitantes una lugent (v. 407—420), elementa ipsa ob hanc gravissimam miseriam clamorem tollunt: βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων. Fontium murmuratio in luctum mutata est atque ex infima terra Hades neniam suam ad lucem emittit.

Iam respiciamus quis sit finis atque consilium quo Oceanidum scaena composita sit. Actionis quidem praeter chorum scaenam ingredientem nihil affert. Sed ea re non differt a reliquis eiusdem fabulae scaenis, nam rebus gestis tantopere caret haec fabula quantopere nulla alia. Magis operam dedit poeta longe diversae rei, animi motibus explanandis. Rem ita instituere coactus est fabulae materia, neque enim Prometheus saxo affixus res gerere potest. Ac primum quidem timore strepitus novi atque horribilis perterritum videmus Prometheum. Quod silentio altissimo solitudinis efficitur quo tenuissimus sonus fit terribilis. Neque hic Prometheus est Robertus Guiscardus qui quamquam acerrimis animi permotionibus concitatur, tamen minime vultum imaginem animi fieri patitur, sed talis heros, de quo vel intimos animi motus pronuntiante non malam habemus existimationem. Nam idem statim summo deo obsistere audet. Iam sequuntur querelae sortis miserrimae qua affectus est Iovis ira. Multo autem gravius cruciatur cum consideret deos pasci dolore suo, si non reliquos deos, at certe Iovem, et qui olim sua prudentia regnum obtinuerit iam se illudere. Quae est causa gravissimi in Iovem odii et quae ex eo oriuntur minae, v. 168 sqq., non sunt in auras dicta verba: Prometheus plura scit quam Iuppiter, nam et rerum futurarum peritus est et aliquando se liberum futurum esse et Iovem sibi satisfactu-

rum et leni animo manum porrecturum ad gratiam reconciliandam haud ignorat. Quam viles et parvulae pro tot tantisque animi motibus sunt chori affectiones: qui modo ad miserrimum illum despiciebat misericordi animo, iam trepidat primo eius verbo audaci et constanti (v. 182). Altera pars dialogi ad Iovem attinet: iniustum eum esse demonstratur. Nemo nisi Prometheus solus id pronuntiare ausus est neque pronuntiare potest, nam is solus olim Iovi parem se praestitit. Ad tantam animi audaciam chorus nullo modo accendi potest, immo relabitur in pristinam imbecillitatem: „Peccavisti, inquit, Prometheu, doleo quod id tibi dicere cogor, sed iam serva, serva te." Nulla alia re Prometheum adiuvare potest nisi ut lacrimas profundat misericordia motus. Prometheus autem quamquam gravissimis animi doloribus cruciatur, tamen se hominum sortem levavisse sibi conscius est. In nulla alia scaena huius fabulae poeta tam egregie quomodo diversissimi animi motus inter se succedant depinxit, nam sub finem fabulae simpliciores fiunt animi motus Promethei, cum ad ironiam solam et odium Iovis enascantur, desinant querelae.

Uno etiam alio loco non minore arte poeta quomodo intimi animi motus enascantur atque augescant explicavit, in Choephoris, vv. 264—460, ubi Orestes ad consilium matris interficiendae perducitur.

Quoniam stasimum v. 399 sqq. iam supra contemplati sumus, iam ad πόνους v. 436—525 enumeratos nos convertamus. Husungius[1]) enim horuum versuum argumentum non congruere cum eis quae antea (v. 7, 109, 254/6) dicta sint contendit. Hoc enim loco exponi hominum cultum atque humanitatem effectum esse tenui animi igne, cum reliquis locis de physico tantum igne dictum esset. Qua ex re cognosci posse hoc loco Heracliti de igne doctrinam a poeta usurpatam neque plane cum reliquis locis aequatam esse. Sed nusquam in his versibus homines igne

1) Quaestiones Aeschyleae. Diss. Gryph. 1911 p. 22.

animi ad inventiones suas pervenisse scriptum videmus, nusquam igitur rationaliter immutatus est mythus fabulae, sed ut Promethei merita enarrantur omnes inventiones eo consilio factae ut suam erga homines benevolentiam probaret:

v. 440 ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος.

Is solus mentem iis dedit, (v. 444), is inventiones factas (v. 469) cum hominibus communicavit

v. 447 οἵας τέχνας τε καὶ πόρους ἐμησάμην.

Itaque chorus quoque timet ne cum prospiciat hominibus sui ipsius atque salutis suae obliviscatur (v. 507/9). Quomodo ibi ignis animi in hominibus res efficax fuisse potest! Ubique legimus inventiones hominibus donatas esse, nusquam intestina vi enatas esse, ut vult Husungius Heracliti doctrinam (apud Sext. Empir.): ὅτι κατὰ μετοχὴν τοῦ θείου λόγου πάντα πράττομέν τε καὶ νοοῦμεν hoc loco contineri affirmans. Nonne Prometheus ipse iam v. 256 dicit ignem quem ex caelo deprompserit, physicum igitur, homines artes docturum esse (διδάσκαλος τέχνης)? Sed Husungio unumquodque εὕρημα ex Heraclito sumptum esse videtur, quam ad rem demonstrandam utitur libro περὶ διαίτης ab Heracliteo quodam conscripto, quo ex duabus viribus vel partibus contrariis tertium aliquod effici probatur. Quod si ita esset, apud Aeschylum quoque vestigia talium rerum contrariarum inveniri necesse esset, sed nusquam inveniuntur. Ars sola, de qua agitur, commemoratur, non elementa contraria ex quibus composita est; et uno loco quo Aeschylus partes ipsas affert quas Heraclitus in exemplis suis inter se opponebat, de anni temporibus (v. 454 sqq.), cum Heraclito discrepat. Is enim duo tantum anni tempora novit, fr. 67 ὁ θεὸς ἡμέρη καὶ εὐφρόνη, χειμὼν θέρος, at Aeschylus tria habet: οὔτε χείματος τέκμαρ, οὔτ' ἀνθεμώδους ἦρος οὔτε καρπίμου θέρους βέβαιον. Complura exempla ab Aeschylo prolata omnino non inveniuntur in libro illo περὶ διαίτης, ut astronomia, numeri, ars pecora domandi, ars naves aedificandi, quae-

que Husungius affert argumenta tamen haec exempla apud Heraclitum exstitisse, parum sunt probabilia, ut de arte naves aedificandi res contrarias esse aquam et remum (vel velum) contendit. Quibus apud Heraclitum inventis incidisse Aeschylum in hanc artium enumerationem. Sane multo facilius ex usu cotidiano talia exempla depromere poterat, et quam usitata haec res Aeschylo fuerit ex orationis imaginibus praecipue in Septem fabula adhibitis cognoscas. Similiter res se habet de agricultura (v. 454/8), de pecoribus domitis (v. 462 sqq.), de arte medendi (v. 478 sqq.), de metallis usurpandis (v. 500 sqq.). Id quoque negari non potest ex attributo ἔξοχον σοφισμάτων verbi ἀριθμόν (v. 479) certe Pythagoreorum auctoritatem agnoscendam esse. Neque magis quam ex singulis exemplis ex toto sententiarum conexu aliquid concludi potest de Heracliti auctoritate. Nam Heracliti doctrinae et omnia orta esse ex uno principio, qui sit ignis, et λόγον illum qui omnia animalia penetret re vera nihil nisi ignem tenuissimum esse, ne vestigium quidem hoc loco invenimus.

Sed Husungius ea quoque re confirmari dicit nihil nisi Heracliti philosophiam hoc loco reddi, quod antithesis figura aliquoties occurrat, quae certe Heracliti propria est, ut fr. 34 παρέοντας ἀπεῖναι, fr. 91 σκίδνησι καὶ πάλιν συνάγει καὶ πρόσεισι καὶ ἄπεισι. Sic Aeschylus habet

v. 447/8 βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
κλύοντες οὐκ ἤκουον.

Quam figuram in eis tantum fabulis occurrere contendit Husungius quae post Prometheum fictae sint, ut Agam. v. 1623, Choeph. v. 504. Sed accuratius quaerenti etiam in Septem et Supplicibus se offert, ut

Sept. v. 246 μή νυν ἀκούουσ᾽ ἐμφανῶς ἄκου ἄγαν,

et similiter

v. 6 Ἐτεοκλέης εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν.

Nonne hoc idem est quod Heracliti fr. 49 εἷς ἐμοὶ μύριοι? Porro

Suppl. 862/3 σὺ δ' ἐν ναὶ ναὶ βάσει
τάχα θέλεος ἀθέλεος

et

Suppl. 1055 σὺ δὲ θέλγοις ἂν ἄθελκτον.

quocum conferas

Heracl. f. 32 ἓν τὸ σοφὸν μοῦνον λέγεσθαι οὐκ ἐθέλει
καὶ ἐθέλει Ζηνὸς ὄνομα.

Id igitur apparet Aeschylum non inde a Prometheo fabula sed in omnibus fabulis servatis adhibuisse hanc figuram. Nullo igitur modo ex versibus 447/8 colligi potest argumentum huius loci ab Heraclito desumptum esse.

In hac scaena etiam Wackernagelium [1]) offendit

v. 459 καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων ἐξηῦρον.

Cum enim sic vertat „ich erfand die Zahlenlehre, die Königin der Wissenschaften", recentioris temporis esse iudicat, cum haec verbi ἀριθμός notio Aeschyli temporibus nondum vigeat. Sed sic intellegi non potest verbum ἀριθμός hoc loco; nam ubicumque inventiones suas enarrat Prometheus, nusquam substantivum abstractum eius artis affert, sed aut quam rem egerit in inventione efficienda, ut

v. 458 ἀντολὰς ἐγὼ ἄστρων ἔδειξα
v. 462 κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
v. 482 ἔδειξα κράσεις ἠπίων ἀκεσμάτων

itemque v. 465, 484, 485, aut, ubi verbum ηὗρον ipsum adhibet, substantivo concreto artem inventam exprimit, ut

v. 502/3 χαλκὸν σίδηρον ἄργυρον χρυσόν τε τίς
φήσειεν ἂν πάροιθεν ἐξευρεῖν ἐμοῦ

et

v. 467 θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
λινόπτερ' ηὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Ergo v. 459 ἀριθμός quoque nihil aliud est nisi „Zahl".

1) Verhandl. d. 46. Philol.-Vers. in Straßburg 1901.

ita ut vertas „ich erfand die Zahl, hervorragend aus den Erfindungen [1]."

Quibus expositis iam de *compositione fabulae* quaeramus, utrum cum Aeschyli arte componendi congruat an non. Quam ob rem necesse erit paulo longius rem repetere. Welckerus [2]) de ea re hoc statuit: „In der Mittelszene steht in der Regel bei Aeschylus die Handlung still, eine neue zuweilen ihr selbst nicht unmittelbar angehörende Person tritt auf, und indem die Tat von ihrer Folge getrennt, die Erwartung des Ausgangs hingehalten wird, erhält zugleich die Betrachtung der Hauptsache selbst neuen Stoff." Quae ratio quatenus ab Aeschylo observata sit examinemus. Atque in Supplicibus quidem nihil tale invenimus, immo recta via procedit actio: Chorus quoniam quis sit in quantaque calamitate versetur demonstravit (v. 1—233), a rege terrae, cum suum quoque genus ex hac Argivorum terra exortum sit, petit ut se tueatur et in terram suam recipiat (234—355). Quamquam diutissime cunctatur Pelasgus (cf. v. 357, 368, 398, 407), tamen chori precibus (v. 418—437) commotus animum inducit eas adiuvare populoque Argivorum ut idem decernat persuadet. Itaque Aegyptiorum praeconem, qui virgines abducturus est, gravibus verbis repellit Pelasgus, consolatur virgines trepidantes. Animum inducit eas adiuvare populoque Argivorum ut idem decernat persuadet. Itaque Aegyptiorum praeconem qui virgines abducturus est, gravibus verbis repellit Pelasgus, consolatur virgines trepidantes.

Nullo igitur loco actionem consistere intellegimus, et cum inter omnes constet hanc fabulam inter antiquissi-

---

1) Ex perfectis quae dicuntur resultativa quaeque Wackernagelius (Studien zum griechischen Perfekt 1904) in Prometheo saepius occurrere quam in reliquis fabulis demonstravit, unum agnoscere non possum

v. 825 ἃ πρὶν μολεῖν δεῦρ' ἐκμεμόχθηκεν φράσω

ibi enim actio non perseverat in obiecto enuntiati sed in subiecto, cum Io labores passa sit quibus eadem etiam nunc premitur.

2) Trilogie Prom. p. 16.

mas Aeschyli numerandam esse, hac re effici censeo Aeschylum in eis fabulis in quibus rem non ita instituit — in Persis, Choephoris, Eumenidibus dico, ut infra videbimus — id certo consilio fecisse, cum se actionem vere dramaticam per totam fabulam fingere posse hac tragoedia ostenderit.

Neque aliter rem se habere in Septem fabula ex eis plane apparet quae Wilamowitzius[1]) egregie de hac fabula disputavit. Primum enim (v. 1—368) quomodo periculum urbi impendeat explanatur, deinde quid ad periculum propulsandum facere in animo habeat Eteocles (v. 375—676), tertium totius rei exitus exponitur, ita tamen, ut non urbis sit interitus, sed domus Oedipodis.

In Agamemnone primo quidem adspectu tale aliquid fieri videtur: primum enim nova persona procedit quae ad fabulae argumentum minus attinet, Agamemnonis nuntius (v. 503 sqq.), deinde idem referre videtur quod iam ignium indiciis compererunt Clytaemestra et incolae urbis: Troiam esse expugnatam (v. 525 sqq.). Re vera autem non solum multa novi affert haec scaena, sed etiam viscera ipsa actionis continet. Nam primum et priorem nuntium certiorem reddit, quod argumento ipso postulabatur, cum utrum verus ille fallacis ignis nuntius sit an non valde dubitet chorus

v. 476 πόλιν διήκει θοὰ
βάξις· εἰ δ' ἐτήτυμος
τίς οἶδεν, ἤ τι θεῶν· ἐστί πῃ ψύθος

(cf. v. 469 et 590), quin etiam Clytaemestra ipsa ne non omnia bene eveniant timeat

v. 345 θεοῖς δ' ἀναμπλάκητος εἰ μόλοι στρατός,
ἐγρηγορὸς τὸ πῆμα τῶν ὀλωλότων
γένοιτ' ἂν εἰ πρόσπαια μὴ τύχοι κακά.

et multa praeterea narret de laboribus quos ad Troiam tulit exercitus: de desiderio patriae (v. 540), de umido

1) Herm. 26, 101 sqq. et Sitz.-Ber. d. Akad. d. Wiss. zu Berlin 1911, 435 sqq.

cubili (v. 559/60), de frigore et aestu toleratis (v. 562 sqq.). quae supervacanea quidem sunt quod ad fabulae argumentum attinet, sed iucundissima incolis auditu. Est autem Aeschyli consuetudo, ut primam animi affectionem, sive laetitiae sive doloris, incerto quodam nuntio et mali augurio efficiat — ut in Septem quoque et in Persis —, qua re vehementius agitatur animus quam si statim certus nuntius afferretur. Deinde autem rem plane novam commemorat nuntius: non solum exercitum, sed etiam Agamemnonem ipsum rediturum esse, id quod Clytaemestra ne verbo quidem tetigit (cf. v. 289 sqq., 320 sqq.). Nunc autem hoc nuntio vehementissime commovetur, ita ut quamquam omni modo veros mores suos celare et fidem amoremque suum Agamemnonis affirmare studet maximis verbis

v. 606 γυναῖκα πιστὴν δ' ἐν δόμοις εὕροι μολὼν
οἵανπερ οὖν ἔλειπε.

tamen eam longe aliam rem animo moliri cum ex ipsius verbis apparet tum ex chori carmine insequenti quo quamquam Clytaemestrae timore adductus libere loqui non audet, tamen quid de ea cogitet in clarissima luce ponit (v. 600 sqq.). Quodsi consideramus in hac fabula agi de Agamemnone interficiendo, in hac scaena verae actionis dramaticae initium positum esse intellegimus, cum ea quae antea cognovimus ad totam rem et mores tantum Clytaemestrae exponendos apta sint. Ergo in hac quoque fabula actionem nullo loco consistere apertum est.

Aliter res se habet in Persis. Agitur de ea scaena qua Dareus ab inferis evocatur. Quaerens autem quid habeat momenti ad totam fabulam haec scaena non consentire possum cum Wilamowitzio [1]) qui ut ipsius utar verbis eam nihil aliud esse censet nisi „ein ebenso großartiges Bild der Persergröße und Hellenengröße wie der erste Akt.“ Atque primum id certissimum est scaenae

1) Herm. 32, 386.

vim non in ipsa mortui evocandi actione et horrore atque admiratione mortui apparentis constare. Itaque paulo longius repetamus rem. Carmine vv. 532—597 quoniam qua calamitate sit affectus exercitus Persarum aperte expositum est lamentationes et exercitus et classis perditae et funestarum rerum futurarum in auras effundit chorus. Qua re peracta nihil nostra iam interest summi fabulae argumenti, id est fortunae exercitus. Quid novi sit allaturus secundus et tertius actus iure quaerimus. Ex eis enim quae in primo actu sequentia indicant,

v. 522 θεοῖς μὲν πρῶτον εὔξασθαι θέλω, ἔπειτα ...

nihil nisi finem quietum et placabilem exspectamus, non novam rerum implicationem. Qua re quamquam certo quodam modo secundus actus cum primo coniungitur, cum Atossa, ut est pollicita in fine primi actus, sacrificatum dis mortuisque redeat, tamen sacra non fiunt sed Darei adoratio quae indicata quidem erat (v. 220) sed eo consilio ut caveretur ne somnium infelix eveniret[1]). Etsi igitur nihil habet iam Atossa quod mortuum ad lucem eliciat tamen choro mandat nihil commemorans qua de causa faciat. Quem finem postea chorus affert,

v. 631 εἰ γάρ τι κακῶν ἄκος οἶδε πλέον
μόνος ἂν θνητῶν πέρας εἴποι,

non tam eius ut feminae quae nullam regnandi partem habebat interest quam chori, id est senatus regni, qui re vera hanc rem quaerit ex Dareo

v. 788 πῶς ἂν ἐκ τούτων ἔτι
πράσσοιμεν ὡς ἄριστα Περσικὸς λεώς;

Quibus de causis chorus auctor adorationis esse debebat. Sed cur Aeschylus Atossam ad eam rem elegerit ex arte scaenica sequitur: Atossa enim primam et maximam partem dialogi cum rege colloquitur, ergo auctor colloquii esse debebat. Praeterea autem dilucide cognoscimus veram causam adorandi non eam esse quam attulit chorus,

1) cf. Wilam. Herm. 32, 386.

nam Dareus cum primum apparuit choro brevissime regem de re futura interroganti brevissime respondet

v. 790/1 εἰ μὴ στρατεύοισθ' ἐς τὸν Ἑλλήνων τόπον,
μηδ' εἰ στράτευμα πλεῖον ᾖ τὸ Μηδικόν,

neque aliud quicquam de hac re commemoratur. Immo summa huius scaenae quaestio illa pertractatur quae causa fuerit cur tanta calamitate affectum sit Persarum regnum. Itaque breviter rebus gestis denuo enarratis (v. 709—734) Dareus deorum oracula his rebus evenire affirmat

v. 739 φεῦ ταχεῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις.

Quae quidem poetae inventio est, sed ut v. 796 sqq. quoque ubi Dareus exercitum qui in Graecia remanserit periturum esse vaticinatur eo consilio rem sic instituit sane summa arte, ut rebus gestis suorum temporum, cum eas cum praeteritis temporibus conectat oraculis, epicum colorem reddere et eo accuratius demonstraret omnipotentem deum, ultorem sceleris et superbiae, huius quoque cladis auctorem fuisse. Nubes igitur calamitatis iam ex antiquis temporibus impendebat regno Persarum, sed Xerxes superbia sua eo celerius in calamitatem incidit:

v. 742 ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις, καὶ ὁ θεὸς συνάπτεται.

Quae autem fuit Xerxis superbia? Deorum ipsorum potentiae obtrectavit, cum mare, Neptuni ministrum, et deum ipsum ut servum vincturus esset:

v. 749 θνητὸς ὢν δὲ θεῶν ἁπάντων ᾤετ' οὐκ εὐβουλίᾳ
καὶ Ποσειδῶνος κρατήσειν.

Exercitui quoque qui in Graecia remansit nulla alia de causa interitus parabitur quam quod ne templis quidem deorum pepercit (v. 808). Quin etiam ossa Persarum interfectorum posteris id in memoriam revocabunt

v. 810 ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.

Talis solet esse superbiae fortuna: ubi nimis elata est praeceps deicitur:

v. 821 ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσεν στάχυν
ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος

itemque

v. 827 Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.

Cui rei si adicimus quae Dareus chorum admonet, ut Xerxi persuadeat ut superbia desistat:

v. 831 λῆξαι θεοβλαβοῦνθ' ὑπερκόμπῳ θράσει.

plane dilucidum fieri existimo quid Aeschyli fuerit in hac scaena componenda consilium: ut Xerxi inureret famam ὕβρεως cum is solus totius calamitatis auctor fuerit. Quo modo totius fabulae ratio inflectitur, cum non iam de fortuna exercitus agatur sed deum iustissimum hac tanta calamitate scelerum poenas repetivisse. Quae res etsi in primo actu nondum explanatur, tamen chori lugubri augurio rerum futurarum indicatur timentis ne hoc ipso momento, cum ingentes atque invictae vires Persarum exierint, δολόμητις ἀπάτη θεοῦ regnum destruat. Id igitur cognoscimus poetae non pluris interfuisse factis ipsis animos spectatorum permovere ut in Supplicibus et priore parte Septem fabulae fit, quam qua de causa omnia facta esse ipse censeret demonstrare.

Quae sententia tertio actu ad finem ducitur quo non solum miseratur chorus viros fortissimos occisos sed etiam Xerxes crudelissime castigatur. Quodsi chorus iterum iterumque de fortuna eorum interrogat qui comites erant regis neque nunc eum comitantur — rex procedit in scaenam in curru stans nullo comite v. 1000/1 — rex ipse sua culpa omnia facta esse confitetur

v. 933/4 μέλεος γέννᾳ γᾷ τε πατρῴᾳ
κακὸν ἄρ' ἐγενόμαν

neque chorus ipse silentio tegit hos omnes regis gratia ad inferos descendere coactos esse

v. 922 ἥβαν Ξέρξᾳ κταμέναν Ἅιδου σάκτορι Περσᾶν.

ita ut dilucidum fiat quam graviter eum dei irati manus opprimat

v. 942 δαίμων γὰρ ὅδ' αὖ μετάτροπος ἐπ' ἐμοί.

Sic igitur procedit fabulae actio: primo actu nuntius refertur cladis, secundo quid poeta ipse de causa calamitatis cogitet exponit poeta, tertio redeunt reliquiae exercitus, Xerxes solus.

Neque aliter res se habet in Eumenidibus. Agitur de ea scaena, ubi iudicium fit de Oreste v. 546 sqq. Ac primum Athenam quidem deam quae ut hanc controversiam diiudicet ab utrisque partibus arcessita est non personam medii solius actus esse quamquam in scaenam prodit v. 398 demum, sed ab initio tantopere implicatam esse in actionem ipsam, ut ex fabula dirimi non possit mihi constare videtur. Neque enim solum Orestes ab Apolline in eius templum confugere iussus est (v. 235), qua re efficitur Athenam ipsam eum recipere aut repellere debere, sed etiam Eumenidibus in Athenae terra dari domicilium fingere voluit poeta, et cum ipsae deae essent, ab homine quodam in terra collocari non poterant. Sed actionem ipsam in hac scaena consistere concedendum est. Nam Apollo v. 80 sqq. eum Athenis in templo Athenae cruciatibus liberatum iri iam promisit, et Orestes ipse manus suas in hospitum domibus iamdudum purgatas esse dicit v. 452 sqq. Ergo quid futurum sit haud ignoramus. Tamen ut utrum noxius sit an non Orestes quaeratur in civium Atticorum ius vocatur. Quare? Primum non ut ex Apollinis et ipsius verbis exspectamus re vera absolvitur Orestes, sed sceleris convincitur. Idque ab initio statuendum est Orestem facti culpam non ad Apollinem referre sed ipsum suscipere, id quod ea re probatur quod etsi Apollinem id sibi suasisse dicit (v. 595/6) tamen non paenitere se huius fortunae

v. 595 Cho. ὁ μάντις ἐξηγεῖ τό σοι μητροκτονεῖν;
Or. καὶ δεῦρό γ' ἀεὶ τὴν τύχην οὐ μέμφομαι,

qua re non solum dei consilio se id fecisse confitetur, sed sua quoque sponte. Quid? Cur ab Agamemnone patre se adiutum iri sperat

v. 598 πέποιθ' ἀρωγὰς δ' ἐκ τάφου πέμψει πατήρ,

si nihil nisi Apollinis mandata exsecutus est? Denique cur facti sui rationem probat iudicibus

v. 602 ἀνδροκτονοῦσα πατέρ' ἐμὸν κατέκτανε

et

v. 604 et 606 ἐγὼ δὲ μητρὸς τῆς ἐμῆς ἐν αἵματι;

Plane supervacanea esset res, si non sua sponte fecisset. Et cum chori verbis

v. 607 πῶς γάρ σ' ἔθρεψεν ἐντός, ὦ μιαιφόνε,
ζώνης; ἀπεύχει μητρὸς αἷμα φίλτατον;

plane convictus atque inscius quid respondeat ad Apollinem confugiat (v. 609), non culpam facti ei assignat, sed ut testimonium suum det utrum factum sit iustum an non orat:

v. 612 ἀλλ' εἰ δικαίως εἴτε μὴ τῇ σῇ φρενί
δοκεῖ τόδ' αἷμα, κρῖνον.

Nihil audimus de minis quas adiecisse Apollinem in Choephoris v. 271—273 dixerat, ex quibus nemo nisi Apollo noxius esset. Optime illustratur res Euripidis Oreste fabula comparata. Ibi quoque causam dicit Orestes, etsi non apud iudices, sed apud Menelaum. Atque quam primam affert causam eadem est quae Aeschyli Orestis:

v. 555 ἐλογισάμην οὖν τῷ γένους ἀρχηγέτῃ
μᾶλλόν με φῦναι τῆς ὑποστάσης τροφάς,

altera quid necessario sequeretur demonstrat si Clytaemestrae facinus non expiatum mansisset, v. 569 sqq., tertia autem Apollinem ipsum petit

v. 594 τούτῳ πιθόμενος τὴν τεκοῦσαν ἔκτανον
ἐκεῖνον ἡγεῖσθ' ἀνόσιον καὶ κτείνετε

neque haec verba a Menelao refelli facit poeta. Euripides igitur id egit ut omnem facti culpam ad Apollinem referret, Aeschylus ut Orestem sibi ipsi culpam assumentem fingeret. Voluit Orestem tutela dei liberare et liberum virum reddere.

Ex priore igitur iudicii parte (v. 585—608) efficitur et Orestem sua sponte facinus commisisse et noxium

esse, cum argumenta eius a choro plane refellantur (cf. v. 603, 607/8). Altera cur Orestes nihilo minus absolvendus sit probatur. Primum Apollo cum quam turpiter Clytaemestrae manibus Agamemno perierit describat, fieri non potuisse demonstrat ut non expiatum maneret Clytaemestrae facinus, vel ut ipse dicit

v. 638 ταύτην τοιαύτην εἶπον, ὡς δηχθῇ λεώς,
ὅσπερ τέτακται τήνδε κυρῶσαι δίκην.

Deinde Iovis esse voluntatem ut absolvatur, cum et Iove auctore ipse Oresti oraculum illud dederit (v. 622 sqq.) et Iuppiter ipse Ixioni qui primus caedem fecerit veniam dederit (v. 717/8).

Iam qüid Aeschylus hac scaena exprimere voluerit cognoscimus: quomodo ipse de hoc facto iudicaret exponere: factum non magis esse Apollinis quam liberi viri Orestis et esse quidem facinus, sed Iovis voluntate facinora quoque et committi et ignosci.

Eandem rationem in Choephoris cognoscemus. Ibi enim tota scaena, in qua Orestes gravissimis animi doloribus vexatur cum consideret utrum facinus committat an non (v. 315—434), actionis nihil novi affert. Quoniam enim quis sit detexit Orestes sorori v. 225, quid facturus sit Apollinis iussu explanat inde a versu 269. Addit quam graves minas sibi iecerit Apollo si mandatum non exsequeretur:

v. 271 κἀξορθιάζων πολλὰ καὶ δυσχειμέρους
ἄτας ὑφ' ἧπαρ θερμὸν ἐξανδώμενος
εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.

et v. 279 sqq. pestem se missurum esse minatus erat, maxime autem

v. 283/5 ἄλλας τ' ἐφώνει προσβολὰς 'Ερινύων
ἐκ τῶν πατρῴων αἱμάτων τελουμένας.

Atque si diffidere vellet dei verbis, tamen negotium sibi faciendum esse confitetur:

v. 298 κεἰ μὴ πέποιθα τοὔργον ἔστ' ἐργαστέον,

ne urbs Argos duarum feminarum, Clytaemestrae et

Aegisthi, servitutis iugum ferre cogeretur (v. 302/4). Iamque Orestem paratum esse rem exsequi ex ultimis videmus verbis:

v. 305 εἰ δὲ μή, τάχ' εἴσεται —

id est Aegisthus utrum muliebri animi sit an non mox sciet.

Tum autem, v. 315, rursus in maximas incidit dubitationes, dum v. 434 demum denuo rem exsequi paratus est.

Iam quid his versibus 315—434 voluerit poeta ut cognoscamus breviter perlustremus argumentum. Orestes cum patrem ex inferis sibi auxilio venire posse desperet. tam parvi est animi ut querelas tantum ad inferos mittere audeat (v. 315—322). Sed longe alio animo est chorus. Qui non solum animum non demisit, sed etiam Orestem ne desperet admonet, cum patris anima nullo modo sit mortua sed adversarios ultura (v. 323—331) et Electrae ipsi quoque valde lugenti (v. 332—339) dei voluntate omnia tamen bene evenire posse in memoriam revocet. Neque autem Orestis animus his verbis augetur sed iterum lamentatur patris sortem (v. 345—353) et Electra prima chori verbis de Agamemnonis apud inferos splendore atque potentia factis (v. 355—363) ira inflammatur in eos qui patrem occiderint (v. 362—370). Qua Electrae animi audacia adductus statim in spem venit ultionis futurae

v. 372 ταῦτα μὲν ὦ παῖ κρείσσονα χρυσοῦ,

sed cum consideret quis eum sit ulturus rursus deicitur spe, cum omnes Agamemnonis amici perierint (v. 375—380), et qui vivant sint eius inimicissimi. Hoc denique verbo Orestes ex querelis suis excitatur: Vere digni ei videntur inimici esse qui necentur (v. 380—385). Statim in novam spem adducitur chorus Orestem ausurum esse rem facere (v. 386—392), et cum Electra quoque acriore animo inflammetur et Iovem et Terram et deos inferos ut tandem ulciscantur Agamemnonis interfectores obsecret, chorus vel postulare affirmat mortuum ut ali-

quis se ulciscatur, cum iam singultu morientis Furiae arcessantur (v. 400—404). Vix autem Orestes haec verba audivit, cum rursus ad summam desperationem adducitur, nam ab eo ipso ut caedem ulciscatur postulat deus. Hoc autem dei mandato tantopere eius animus opprimitur, ut rem exsequi non possit. Haec est prior pars huius scaenae, qua Orestem eo ipso temporis momento quo caedem facere se *cogi* considerat, omni animo quem antea ceperat, deici probatur. Alterius partis (v. 410—438) sententiarum ordo longe diversus est. Cum chorus tum Electra iam alio modo Orestem ut rem suscipiat incitare conantur, ita quidem, ut omnia quae commiserit facinora Clytaemestra et quae ipsae passae sint mala enumerent (v. 418 sqq.): Chorus quam crudeliter sit verberatus (v. 423—428), Electra quam turpiter sepeliverit Clytaemestra Agamemnonem (v. 429—438), deinde chorus rursus quomodo mutilatum sit corpus Agamemnonis (v. 439—443), denique Electra quam aspere ipsa tractata sit (v. 444—450). Quibus verbis tanta in Clytaemestram ira inflammatur Orestes ut iam paratus sit eam interficere. Patrem ut sibi adsit obsecrat:

v. 456 σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις.

Quo pertractato scaenae argumento iam quid Aeschyli in ea componenda consilium fuerit cognoscimus: ut qua re commotus Orestes facinus commiserit demonstraret: non tam Apollinis iussu, quam Clytaemestrae sceleratissimis factis incitatus, id est, non ut divini mandati servus sed ut homo liber.

Hoc demum modo fabula ipsa vere tragica redditur. Nam si nulla alia de causa caedem fecisset nisi Apollinis iussu, sane crudelissimus et immanis putandus esset deus, qui hominem innocentem et deo oboedientem ab Eumenidibus agitari pateretur. Quae igitur carmine epico tradita erant[1]) adeo non cum sententia quam Aeschylus de iustitia divina conceperat congruebant, ut narrationis

1) cf. Wilamow. Orestie p. 24 sqq.

summam sententiam plane commutaret. Iam antequam ad Prometheum nos convertamus quae de Aeschyli arte componendi exquisivimus comprehendamus:

primum non est Aeschyli consuetudo ut medium qui dicitur actum fingat[1]) (Suppl., Sept., Agam.),

deinde, ubi talem componendi rationem adhibet (Choeph., Eum., Pers.), eo consilio facit, ut demonstret quibus causis homines quos agentes inducit ad ea quae faciunt facienda adductos esse ipse censeat, ita quidem ut et rerum narrationem traditam hac scaena improbet et in suam sententiam commutet, et ubi ipse primus res enarrat (Pers.), quid iudicet de rerum gestarum causa explanat;

tum non necesse est novam quandam personam quae ad actionem non attineat, introduci (Eunu., Choeph.). Qua igitur Welckerus usus est lege medii actus in restituendo fabularum perditarum argumento caute usurpandum esse mihi quidem constare videtur.

Quibus rebus expositis „Promethei" compositionem contemplemur: Neque quin de Ionis scaena agatur dubium est neque quae sit huius scaenae sententia summa: Iovem esse iniustissimum.

Quae res optime illustratur comparata Ionis fabula in Supplicibus narrata: Ibi enim Iuno sola errores Ioni imposuit suscensens quod Iovis facta esset uxor:

v. 299 βοῦν τὴν γυναῖκ' ἔθηκεν Ἀργεία θεός

eademque Argum qui custodiret vaccam misit:

v. 302 τί δῆτα, πρὸς ταῦτ' ἄλοχος ἰσχυρὰ Διός;
v. 303 τὸν πάνθ' ὁρῶντα φύλακ' ἐπέστησεν βοΐ,

et oestrum qui vexaret virginem. Omnia igitur Ionis mala in Supplicibus a Iunone orta esse constat.

1) Gaudeo quod Wilamowitzium (Über die Wespen des Aristophanes, Sitz.-Ber. der Berliner Akad. 1911, p. 482 adnot. 1) idem iudicare invenio: „Von Akten, μέρη, reden die Grammatiker mit Recht auch bei Aischylos, denn Teile hat jedes Ganze; aber von einem Schema der Einteilung hat die aischyleische Tragödie noch nichts gewußt, sondern dem Dichter die vollste Freiheit gestattet."

At Juppiter magnopere favebat Ioni, cum et gaudia cum ea communicaret amoris (v. 295) et cum in vaccam mutata esset Io, tauri effigie ad eam descenderet (v. 299—300), et Mercurium qui Argum necaret mitteret (v. 305). Imprimisque Iovem summis laudibus effert chorus, quod is solus et Ionis cruciatuum finem fecerit

v. 571 καὶ τότε δή τίς ἦν ὁ θέλ-
ξας πολύπλαγκτον ἀθλίαν
οἰστροδόνητον Ἰώ;

cf. v. 579 et Iunonis iram sedaverit:

v. 586 τίς γαρ ἂν κατέπαυσεν Ἥ-
ρας νόσους ἐπιβούλους;

Plane autem diversa in „Prometheo" haec fabula instituta est: Juppiter solus cruciatuum auctor est. Neque enim quicquam peccavit Io, cum non amoris societatem inierit cum Iove, sed visibus tantum nocturnis Iovis vexata sit (v. 645 sqq.) et cum metu anxia patri rem enarraverit (v. 655 sqq.) isque quid faceret oraculum consuluerit, Juppiter additis gravissimis minis (v. 667 sqq.) ut domo expelleret filiam imperarit:

v. 665 ἔξω δόμων τε καὶ πάτρας ὠθεῖν ἐμέ.

Neque umquam Iuno ab Ione ipsa errorum auctor vocatur sed unus Juppiter[1]):

ut. v. 671/2 ἀλλ' ἐπηνάγκαζέ νιν
Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε

Ubi autem Iunonis ut auctoris errorum nomen commemoratur, ita fit, ut forma tantum vetus fabulae significetur, nullo modo res ipsa tangatur, ut Prometheus interrogat

v. 591/2 καὶ νῦν τοὺς ὑπερμήκεις δρόμους
Ἥρα στυγητὸς πρὸς βίαν γυμνάζεται,

---

1) Itaque quod addidit ex scholio Hermannus

v. 600: λαβρόσυτος ἦλθον <Ἥρας>
ἐπικότοισι μήδεσι δαμεῖσα

ab Ione, cuius verba haec sunt, nullo modo dicta esse possunt, cum a Iove solo se puniri haud ignoret.

cf. v. 704, vel v. 900 chorus dicit:

δυσπλάνοις Ἥρας ἀλατείαις πόνων.

Et Prometheum ipsum quoque omnem culpam in Iovem referre dilucide demonstratur

v. 735—38 ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος ἐς τὰ πάνθ' ὁμῶς
βίαιος εἶναι; τῇδε γὰρ θνητῇ θεὸς
χρῄζων μιγῆναι τάσδ' ἐπέρριψεν πλάνας.

Maxime autem ea re probatur Iovem solum errorum auctorem esse quod funditus commutavit poeta de Argo custode narrationem — id quod sane admirabili arte mihi quidem fecisse videtur.

Primum a quo missus sit Argus in incerto relinquit poeta. Sic enim narrat Io

v. 678 sqq.: βουκόλος δὲ γηγενὴς
ἄκρατος ὀργὴν Ἄργος ὡμάρτει

deinde non a Mercurio eum interfectum facit — qua re Iovis benevolentia probaretur — sed repentina sorte vita privatum esse

v. 680 ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν ἀφνίδιος μόρος
τοῦ ζῆν ἀπεστέρησεν.

Neque mortuus desiit Ionem persequi, sed in umbram mutatus eam vexat adspectu suo isque ipse adspectus timor est οἶστρος:

v. 566 χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος·
εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς ἄλευ' ἃ δᾶ·
φοβοῦμαι τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν.

Neque de oestro ipso cogitare poetam ex versibus 877 sqq. apparet quibus quomodo denuo insania afficiatur Io describit:

v. 877 ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
μανίαι θάλπουσ' οἴστρου δ' ἄρδις
χρίει μ' ἄπυρος·
κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.

Quodsi v. 878 de oestri sagitta dicit, id nihil ad rem

ipsam valet sed ad fabulae formam tantum veterem respicit. Atque cur poeta in unum confuderit et Argi et oestri speciem perspicuum est: ne iterum cogeretur demonstrare oestrum quoque, id est insaniam, a Iove missum esse. Sin eadem est Argi umbra et oestrus, huius quoque auctor Juppiter nullo argumento adiecto appellari poterat:

v. 880 οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
παράκοπον ὧδε τείρεις;

At in Supplicibus non solum verus oestrus commemoratur (v. 540 οἴστρῳ ἐρεσσομένα, cf. quae dicit Wilam. in Herakl.[2] p. 221 „so in der Jofabel sinnlich; sie heißt ὀδύναις κεντροδηλήτοισι θυιὰς Ἥρας A. Hik. 563“.) sed etiam a Iunone missus.

Quibus rebus expositis quid poeta in conscribenda Ionis scaena egerit mihi sane perspicuum esse videtur: ut in clarissima luce poneret Iovem in Ionem virginem iniustissimum fuisse. Qua re de eius in Prometheum facto idem valere confirmatur. Quodsi talem compositionis rationem cum reliquis Aeschyli fabulis comparamus, plane eandem esse invenimus atque in Choephoris, Eumenidibus imprimisque in Persis. Est ea scaena qua quid ipse de re demonstrata cogitet exponit poeta. Atque quamquam Ionis scaena ad actionem ipsam nullo modo pertinet — item ut Darei scaena in Persis — tamen cum summa fabulae sententia artissime cohaeret pari modo quo Darei scaena cum argumento totius fabulae. Ubi igitur Aeschyli fabulae non actionis perpetuo progressu continentur, eo artius omnia quae fiunt sumna sententia fabulae inter se conectuntur.

Longe diversa autem res est in Euripidis Stheneboea neque consentire possum cum Wilamowitzio[1]) qui Persas eodem modo tripertitam esse censet quo Stheneboeam. Primum enim in Persarum medio actu actionis ipsius nihil novi affertur cum poetae ipsius exponatur sententia

---

1) Classic. Philol. 1908, p. 231.

de calamitatis causa; at in Stheneboeae medio actu multa accidunt, ut Wilamowitzii ipsius utar verbis: „Bellerophontes victor e Caria redit, facinora sua describit, Proeto perfidiam exprobrat, ab eodem novis insidiis petitus Stheneboeae cuius indicio servatus erat, simulato amore persuadet ut Pegaso vecta se in Asiam comitetur."

Deinde autem maximum est discrimen in temporis unitate vel observanda vel neglegenda. Aeschylus enim inter medium actum et reliquos nusquam habet temporis intervallum, sed omnino praeter adventum Agamemnonis praeconis qui Troia capta ab Agamemnone missus non multo post nuntium facibus missum advenit, continuum temporis decursum. In Stheneboea autem inter primum et secundum actum complures menses praeterlabuntur[1]), inter secundum et tertium ita res se habet ut Stheneboeae quae modo discesserat corpus Melo statim apportetur.

Ita igitur res se habet, ut et compositio tripartita ab Aeschylo ad certam sententiam explanandam adhibita ab Euripide etiam ubi recta via procedit actio nonnumquam adhibita sit, et temporum unitas ab Aeschylo stricte observata ab Euripide neglecta sit.

Quid autem iudicabimus de gravissima illa re Iovem ab Aeschylo iniustum esse fictum, qua ipsa me ipsum quoque ad totam hanc quaestionem instituendam adductum esse confiteor cum et dies et noctes animo commoverer utrum tale argumentum cum Aeschyli de dis sententia coniungi posset an non et quid in conscribenda hac fabula in animo habuisset poeta. Neque enim, quamquam omnia fere debeo Welckero, in eis quae de hac re iudicaverat[2]) acquiescere poteram: „Halten wir nach dieser Abschweifung zusammen, daß Äschylus sowohl als Philosoph wie als Eingeweihter ein streitendes Verhältnis, wenigstens in vieler Hinsicht, gegen die Volksreligion behauptete, so dürfen wir vermuten, daß er im Gefesselten

1) cf. Wilam. l. l. p. 231.
1) Trilogie Prom. p. 110/11.

Prometheus, indem die Hesiodische Theogonie in ihren Hauptpunkten behandelt wurde, die Gelegenheit ergriff, um gegen sie und den Zeus, der aus ihr hervorgehe, sich nachdrücklich zu erklären," quam sententiam in „Griech. Götterlehre" II p. 246 sqq. paulum immutavit, cuius autem in summa hoc quoque loco perstitit impugnare velle Aeschylum Hesiodi theogoniam. Primum enim certo consilio plane immutatam esse totam de Iove et Prometheo fabulam Hesiodeam in „Prometheo" videbimus. Maxima enim huius fabulae capita sunt ignis furtum Promethei et Iovis imperium constituendum. Atque primum cur Juppiter hominibus suscenseat et in Theogonia et in Operibus suam habet causam, in Theogonia (cf. 551 κακὰ δ' ὄσσετο θυμῷ θνητοῖς ἀνθρώποις) ira in homines inflammatur quod homines a Prometheo opima carne victimae sunt donati (v. 538 τοῖς μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονα δημῷ ἐν ῥινῷ κατέθηκε) cum ipse ossa tantum acceperit (v. 540), in Operibus ad eandem rem alludit poeta v. 47/48. In Aeschyli autem Prometheo non solum non commemoratur ulla causa cur Juppiter homines perdere voluerit, sed ne potest quidem Promethei dolus causa Iovis in homines odii fuisse, cum statim post regnum constitutum, cum Prometheus etiamtum Iovis amicus esset, id consilium ceperit:

v. 230 ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
καθέζετ' εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα
ἄλλοισιν ἄλλα καὶ διεστοιχίζετο.
v. 233 ἀρχὴν βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὐδέν' ἀλλ' ἀιστώσας γένος
τὸ πᾶν ἔχρῃζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον.

Immo, ex versu 233 apparet Iovem ea tantum de causa homines perdere voluisse quod miserrimi essent neque ipsum eorum misereret, crudelitate igitur sola commotum. Deinde in Theogonia Juppiter superior est Prometheo sapientia, cum statim Promethei dolum perspiciat

v. 550 Ζεὺς δ' ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
γνῶ ῥ' οὐδ' ἠγνοίησε δόλον,

cum Prometheus Iovem fraude decipere conetur (v. 535 sqq.), neque eius auxilio eget in Titanibus regno deiciendis (v. 617) sed vincit Titanes reliquorum deorum Olympicorum auxilio, de quibus Juppiter optime meritus est cum eos ex tenebris liberaverit (v. 651/2), quam ob rem magnam ei gratiam habent reliqui di

v. 656: ἴδμεν ὅ τοι περὶ μὲν πραπίδες περὶ δ' ἐστὶ νόημα,
ἄλκτηρ δ' ἀθανάτοισιν ἀρῆς γένεο κρυεροῖο.

Neque igitur timore Iovis premuntur reliqui di ut in Prometheo (v. 34). At in Aeschyli Prometheo Juppiter non solum prudentia inferior est Prometheo, cum quomodo periculum sibi immineat nesciat id quod Prometheus solus non ignorat, sed etiam Promethei solius auxilio (v. 211) Titanes deiecit regno. Plane igitur Theogoniae summa sententia a poeta immutata est neque quam in partem mutata sit dubium est: ita ut Iovis mores et potentia minuerentur, Promethei augerentur. Hic quaerat quispiam nonne hoc modo Iovi maledicere voluerit poeta cum tam humilem ei attribuat animum. Acerrime impugnanda est haec sententia. Ita enim rem instituit poeta, ut aliquando Iovem longe alium deum futurum esse nobis persuadeat. Atque primum eius crudelitatem ea re excusat quod unumquemque tyrannum qui modo regnum obtinuerit crudelem esse dicit

v. 35 ἅπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

Qua ex re aliquando eum mitiorem futurum esse colligimus id quod Prometheus ipse confirmat

v. 110 μαλακογνώμων ἔσται ποθ' . . .

Quin etiam amicitiam inibit cum Prometheo

v. 193/4: εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητα
σπεύδων σπεύδοντι ποθ' ἥξει.

Ergo Iovem crudelem et iniustum esse aliquando desiturum esse apparet. Id igitur explanare voluit poeta Iovem quamquam his regni constituendi temporibus (v. 151 τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν ἀιστοῖ) crudelis esset, tamen aliquando

iustum et mitem futurum esse. Quod non fecisset si accusare vellet Iovem. Poeta igitur qui Prometheum fabulam conscripsit eam de Iove sententiam habebat eum priscis temporibus crudelem et iniustum fuisse, sed temporis decursu in meliorem partem mores suos mutavisse. Ergo iam quaerendum est utrum Aeschylus ita de Iove cogitaverit an non. Atque habemus unum exemplum certissimum ex quo eum sic de Iove sensisse colligere licet: Eumen. v. 640/41. Apollo enim Eumenidum choro ad Orestem purgandum obicit Iovem ipsum ut matrem quae eius patrem necavisset necaret imperavisse Oresti v. 624/5. Ad quae chorus hoc respondet:

v. 640/42 πατρὸς προτιμᾷ Ζεὺς μόρον τῷ σῷ λόγῳ:
αὐτὸς δ' ἔδησε πατέρα πρεσβύτην Κρόνον.
πῶς ταῦτα τούτοις οὐκ ἐναντίως λέγεις;

Quibus ex versibus efficitur Aeschylum cum consideraret quid Iovem priscis temporibus fecisse memoriae proditum esset in maximas dubitationes incidisse cum talem Iovem crudelem et iniustum esse sentiret. Neque id pronuntiare veritus est, nam consulto eum hoc Eumenidum loco rem in lucem protulisse ex toto conexu apparet: quam facile erat aliam dialogi rationem instituere. Sin credat quispiam eum ob eam rem plane contempsisse Iovis numen magnopere errat. Nimirum alienus ab Euripidis ratione summa pietate deos colit, imprimis Iovem (cf. Suppl. 86—111, Agam. 160—191) qua de re infra agam. Neque enim is deus quem Aeschylus esse credebat ratione philosophica cognitus erat sed qui re vera vivebat et hominum facta regebat, cum in se ipso huius dei vim atque numen esse sentiret. Ergo quin exstitisset antiquissimis quoque temporibus Juppiter ei dubium non erat. Nonne haec eadem res est quae in Prometheo? Atque omnino Aeschylum iudicavisse deos ex pristina asperitate et crudelitate enatos esse inde a Dissenio[1]) multi viri docti exposuerunt ut Julius Caesar[2]) et imprimis Wilamo-

1) Apud Welckerum Trilog. p. 92.

2) Der Prometheus des Äschylus. Marburg 1860, p. 31.

witzius[1]), Eumenidum usi exemplo ad confirmandam hanc sententiam, quarum cum Apolline controversia non aliter atque in Prometheo componitur, cum in gratiam inter se redeant partes litigantes. Neque cur in Prometheo rem sic instituerit mihi dubium est: Quamquam ipse ex carminibus epicis ut Theogonia et Operibus Iovem iniuriam fecisse cognoverat tamen cum neque ab Hesiodo neque ab Atheniensibus Iovis facta ratione morali aestimari videret quid ipse de Iove sentiret hac fabula explanavit.

Iam ad *cantica* Promethei nos convertamus, cum viri docti aut cohaerere ea cum fabulae actione negaverint[2]), aut breviora esse quam ut Aeschyli esse possint contenderint.

Primum quaestionem instituamus quomodo Aeschylus initium carminum chori finxerit. Atque hic dicendum est eum eam regulam sequi ut ubicumque animi affectum exprimere velit graviter atque efficaciter incipiat, atque eo modo, ut primum eluceat cuius generis sit animi motus, deinde qua re animus permoveatur. Ut exempla afferam:

Sept. 78 *θρέομαι* φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.
μεθεῖται στρατός

primo versu timore se affectum esse exclamat, altero cur timeat. Item

Sept. 288 μέλει, φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ
Sept. 720 *πέφρικα* τὰν ὠλεσίοικον θεόν
Agam. 935 *τίπτε* μοι τόδ' ἐμπεδῶς
δεῖμα προστατήριον
καρδίας τερασκόπου ποτᾶται,

quamquam hoc loco se scire negat chorus cur angor animum suum circumvolet, tamen ex antecedentibus versibus quin de Agamemnonis sorte futura metuat nemini dubium est. In Choephoris v. 22 sqq. virgines primum quanto luctu sint affectae enarrant:

1) Einleitung zur Übersetz. d. Agam. p. 39 sqq.

2) Röhlecke, Diss. p. 68 sqq. Westphal, Prolegomena p. 10—13.

ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν
χοὰς προπομπὸς ὀξύχειρι σὺν κτύπῳ,

deinde quae sit causa doloris:

v. 32 τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος.

Ad hanc Aeschyli rationem etiam Promethei primum stasimum quadrat, cum et maerere se dicat chorus et cur maereat:

v. 399 στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας Προμηθεῦ.

Ubi autem *di implorantur*, statim ab initio carminis appellantur, qua re regula modo constituta confirmatur, cum ita quoque initium carminis grave atque plenum efficiatur, ut Suppl. 1 sqq., 524, 630, 776, 966, Pers. 532, Agam. 355, Choeph. 783, Eumen. 778. Cuius generis est Promethei quoque carmen v. 526 sqq.[1]):

μηδάμ' ὁ πάντα νέμων
θεῖτ' ἐμᾷ γνώμᾳ κράτος
ἀντίπαλον Ζεύς.

1) Itaque versus 820/21 Septem fabulae quas Wilamowitzius choro attribuere vult his verbis (drei Schlußscenen p. 446$_1$): „Wenn man 820. 21 dem Boten läßt, so sind sie tautologisch; man hat sie daher verworfen. Im Munde des Chorführers haben sie Kraft und Sinn,“ non cum carmine sequenti coniungendi sunt. Nam si fieret, ut

820 πόλις σέσωσται· βασιλέοιν δ' ὁμοσπόροιν
πέπωκεν αἷμα γαῖ' ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ.
ὦ μέγαλε Ζεῦ καὶ πολιοῦχοι
δαίμονες

lex illa Aeschyli ceteris locis strictissime observata hic perrumperetur. Praeterea etiam alia de causa a carmine seiungendi sunt. Nam ubicumque choragus verba facit ante carmen aliquod, huius modi sunt: primum choragus actorem tantum modo locutum alloquitur ita ut dialogi forma efficiatur, qua re verba choragi ab ipso carmine separantur, ut

Pers. 622/3 βασίλεια γύναι, πρέσβος Πέρσαις
σύ τε πέμπε χοὰς θαλάμους ὑπὸ γῆς

et

Suppl. 1044 τ' ἄλλ' εὐτυχοῖμεν πρὸς θεῶν Ὀλυμπίων
ἐμῆς δ' ὀπώρας οὕνεκ' εὖ θάρσει, πάτερ

itemque Eum. 299, Agam. 351. Nusquam autem choragus de facto aliquo refert chorum ipsum alloquens: Deinde verba choragi semper

Ubi autem carmina Aeschylea animi commotionem non continent, sed contemplationem vel narrationem, per to-

---

continent adhortationem vel pronuntiationem canendi, ut

Pers. 626 sqq. ἡμεῖς θ' ὕμνοις αἰτησόμεσθα
φθιμένων πομποὺς
εὔφρονας εἶναι κατὰ γαίας.
Sept. 625 ἄγε δὴ λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις
εὐχὰς ἀγαθὰς ...

neque aliter Agam. 350, Choeph. 931, Eum. 306. Choro igitur attribui non possunt Sept. vv. 820/21. Neque tamen uterque spurius iudicandus est. Nam quomodo res se habeat ex sententiarum conexu statim cognoscemus. Usque ad versum 804 omnia quae nuntius refert recte procedunt:

v. 804 πόλις σέσωσται· βασιλέες δ' ὁμόσποροι,

sed statim versus 805 complura habet offendimenta:

v. 805 ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων.

Primum ἄνδρες substantivum post v. 804 plane supervacaneum est, deinde haec verba τεθνᾶσιν et quae sequuntur dicta esse non possunt ante versum 810, cum usque ad hunc versum in dubio sit chorus quid factum sit:

v. 808 οἲ 'γὼ τάλαινα, μάντις εἰμὶ τῶν κακῶν,

et

v. 810 βαρέα δ' οὖν ὅμως φράσον,

neque enim fingere possumus chorum verba versus 805 non audivisse. Quo loco ponendus sit hic versus 805 ex versibus 810/11 apparet:

v. 810 ἐκεῖθι κεῖσθον; βαρέα δ' οὖν ὅμως φράσον.
v. 811 αὐτοὺς ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίρονθ' ἅμα;

Qua de re igitur v. 810 dubitat chorus, eam v. 811 cognovit. Deest igitur inter utrumque versum quid factum sit responsum, id est v. 805. Neque quomodo factum sit ut transponeretur v. 805 dubium est: cum enim

v. 804 βασιλέες δ' ὁμόσποροι

enuntiatum non perfectum esset, suppleverat scriptor quidam sententiam versum ἄνδρες τεθνᾶσιν ... adscribens. A librario posteriore hic versus eo loco quo nunc habemus in contextum receptus suo loco omissus est. Idem valet de versu 821. Nam inter quaestionem chori v. 811 et eiusdem

v. 812 οὕτως ὁ δαίμων κοινὸς ἦν ἀμφοῖν ἄγαν

tale aliquid excidisse fratres mortuos esse luce clarius est, qui est

tum carminis tenorem in eo orationis genere perseverant, ut Choeph. 585 quod carmen incipit

πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει, deinde postquam quod scelus commiserint Althaea et Scylla (v. 602—622) exposuit, transit ad Clytaemestrae facinus (v. 623—630), quod cum Lemniadum tantum comparari (v. 630—638) neque expiari possit nisi a Furiis:

v. 649 τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν
αἱμάτων παλαιτέρων τίνειν μύσος
χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων 'Ερινύς.

Itemque composita sunt carmina Pers. 1 sqq., Agam. 40 sqq., Choeph. 931 sqq., Eum. 490 sqq.

Iam pauca dicenda sunt de Promethei tertii carminis, v. 887 sqq., compositione. Cum enim reliqua duo huius fabulae carmina v. 399 sqq. et v. 526 sqq. plane Aeschyli rationem ut vidimus redoleant, tertium ea re a reliquis differt quod quae chorus a dis precatur, non statim ab

versus 821. Iam relinquitur versus 820, qui non una cum v. 821 transponendus et cum eo coniungendus est, nam prima verba πόλις σέσωσται rem antea tractatam de qua post v. 811 sermo esse non iam potest referunt. Neque ullo post v. 804 loco contextui adaptari potest hic versus. Interpolatoris igitur est iudicandus, ea de causa verbis πέπωκεν αἷμα praepositus ut „cuius" sanguinem terra bibisset dilucidius fieret. — Neque aliter iudicandum est de Supplicum

v. 623/4: δημηγόρους δ' ἤκουσεν εὐπιθεῖς στροφὰς
δῆμος Πελασγῶν· Ζεὺς δ' ἐπέκρανεν τέλος.

Neque enim Danao qui antecedentes versus loquitur tribui possunt cum repetant quod antecedentibus duobus versibus 621/2 dixit

τοιαῦτ' ἀκούων χερσὶν 'Αργεῖος λεὼς
ἔκραν' ἄνευ κλητῆρος ὡς εἶναι τάδε —

describit enim hoc loco quomodo Argivi suffragium fecerint de se filisque in terra sua recipiendis — neque, ut Bothius volebat, chori esse possunt, cum carminis sequentis vim initii:

v. 625 ἄγε δὴ λέξωμεν ἐπ' 'Αργείοις
εὐχὰς ἀγαθὰς . . .

deturbarent. Interpolatoris igitur sunt et adiecti quidem ut illud

v. 628 Ζεὺς δ' ἐφορεύοι

iam praecipiatur verbis Ζεὺς δ' ἐπέκρανεν τέλος.

initio dicta sunt sed in antistropha demum:

v. 894 μήποτε μήποτε μ' ὦ
⟨πότνιαι⟩ Μοῖραι . . .

Sed singularis est res. Nam tota Ionis fortuna sententiam illam notissimam in chori memoriam revocavit

v. 890 ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ

quae per totum carmen valet et in se ipsa continet voluntatem chori ne idem sibi accidat. Neque ullum habemus aliud carmen Aeschyli ubi tam acriter totum argumentum una sententia tali comprehensa sit ita ut nesciamus quomodo aliis locis egerit Aeschylus. Quam enim affert poeta in Septem carminis

v. 769 sqq. πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει
ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν
ὄλβος ἄγαν παχυνθείς

non valet de totius carminis argumento sed de Oedipodis tantum fortuna (v. 772 sqq.), in initio igitur carminis collocari non poterat. Haec autem sunt Aeschyleae artis vestigia in hoc carmine: primum gravi accentu incipit carmen

v. 887 ἦ σοφὸς ἦ σοφός

duplici illo ἦ σοφὸς posito, deinde statim ab initio qua re moveatur chori animus aperte pronuntiatur, ne idem patiatur quod Io. Atque hac in re maximum est discrimen ab Euripidis ratione carmina componendi. Quae ut cognoscamus paulo longius res est repetenda.

Tria enim genera habet Euripides carmina componendi. Primum quod est usitatissimum cum Aeschyli ratione consentit: initium carminis gravi accentu intenditur, ut

Androm. 766 ἢ μὴ γενοίμαν ἢ πατέρων ἀγαθῶν
εἴην πολυκτήνων τε δόμων μέτοχος,

itemque Androm. 117, Hec. 444, 629, 905, Suppl. 42, 365, 598, Ion. 452, 1044, 1229, Troad. 511, 1060, Iph. Taur. 123, 392, Helen. 1007, Phoen. 784, Or. 316, 1353, Bacch. 64, 370, 862, 1152, Iph. Aul. 1036.

Alterum quoque genus idem est quod Aeschyli, contemplatio philosophica, ut Med. 1081, Iph. Aul. 164, 543, Heraclid. 608, Hec. 98, Heracl. 637, Hel. 1301, Electr. 699.

Tertium autem est alienum ab Aeschyli ratione; eiusmodi enim est, ut leniter incipiat, a narratione quadam vel contemplatione, ita ut quid optet vel qua re moveatur chori animus cognoscere iam non possimus, deinde autem paulatim crescendo in medio carmine vel in fine ad animi affectum exprimendum perveniat, ut Hippol. v. 121 sqq., ubi chorus amicarum reginae enarrans sic incipit leniter:

Ὠκεανοῦ τις ὕδωρ στάζουσα πέτρα λέγεται,
βαπτὰν κάλπισι ῥυτὰν πα-
γὰν προιεῖσα κρημνῶν.

progrediente demum carmine magis magisque augetur animi sollicitatio, metuere eum reginae nova aliqua febri affectae apparet:

v. 141 ἦ σύ γ' ἔνθεος, ὦ κούρα,
εἴτ' ἐκ Πανὸς εἴθ' Ἑκάτας
ἢ σεμνῶν Κορυβάντων φοι-
τᾷς ἢ ματρὸς ὀρείας;

Neque aliter chorus in Iph. Taur. 1089 sortem suam desiderio patriae commotus querens. Incipit cum se comparet cum Philomela lugente:

ὄρνις, ἃ παρὰ πετρίνας
πόντου δειράδας, ἀλκυών
ἔλεγον οἶτον ἀείδεις
εὐξύνετον ξυνετοῖς βοάν
ὅτι πόσιν κελαδεῖς ἀεὶ μολπαῖς
ἐγώ σοι παραβάλλομαι θρήνους

sequuntur in medio carmine querelae ipsae:

v. 1106 ὦ πολλαὶ δακρύων λιβάδες

in fine demum quid optet profert,

v. 1137 λαμπροὺς ἱπποδρόμους βαίην.

Hoc loco apparet quam diversa sit Aeschyli ratio car-

mina componendi ab Euripidis; nam Aeschylus in Supplicibus v. 1 sqq. similem habet neniam eadem comparatione inserta. Sed incipit statim a Iove implorando:

Ζεὺς μὲν ἀφίκτωρ ἐπίδοι προφρόνως
στόλον ἡμέτερον νάιον ἀρθέντ'.

in medio demum cantu rem comparatam inducit,

v. 57: εἰ δὲ κυρεῖ τις πέλας οἰωνοπόλων
δοξάσει τιν' ἀκούειν ὄπα τᾶς Τηρείας
μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου.

Neque minus differunt Euripidis Phoenissarum v. 202 sqq. ab Aeschyli ratione Septem fabulae v. 78 sqq.

Quamquam enim in utraque fabula idem est rerum status, cum urbs ab hostibus obsideatur et urgeatur, tamen Euripidis mulierum chorus primum enarrat quae fuerit sors sua,

v. 202 Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν
ἀκροθίνια Λοξίᾳ . . .

sub finem demum transit ad eum animi affectum describendum quo hoc ipso tempore permovetur,

v. 239 νῦν δέ μοι πρὸ τειχέων
θούριος μολὼν Ἄρης
αἷμα δάϊον φλέγει . . .

cum illud versuum antecedentium (v. 202—238) patriae desiderium nihil ad periculum imminens attineat. Quanto autem animi motu Aeschyli chorus introducitur

v. 78 θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη
μεθεῖται στρατός:

duabus brevissimis sententiis comprehenditur tota rerum condicio et virginum plane consilii expertium metus.

Itemque res se habet Phoen. 638, 1018, Iph. Aul. 751, Ion. 676, Hippol. 1104, Med. 824, Androm. 274, 465, Suppl. 278, Ion. 184.

Iam ut redeamus ad Aeschyli Promethei carmen v. 887 sqq., quamquam cum hoc tertio Euripidis genere comparari posse videtur quod non statim ab animi motu

exprimendo incipit, tamen ut iam supra commemoravi, id alienum est ab Euripidis arte quod non leniter sed gravi accentu incipit et qua re chori animus commoveatur statim cognosci potest.

Iam transeamus ad canticorum argumenta contemplanda. Atque antequam quomodo canticorum argumenta cum actione cohaereant perscrutemur pauca omnino de conexu chori cum actione fabulae dicenda sunt, qua de re nuper egit Friesius[1]). Atque quam Friesius summam sententiam statuit chorum artissime cum actione coniunctam esse in eis fabulis in quibus de ipsius fortuna agatur (ut in Suppl., Sept., Pers.) rectissime collegit ex Aeschyli fabulis. Sed paulo longius iam licet progredi. Quamquam enim in fabulis modo commemoratis omnia quae fiunt ad chorum pertinent, tamen in his prioribus fabulis nusquam chorus ipse agit rem aliquam sed ubique patitur aliquid. Quod apparet ex Supplicibus: Nihil aliud faciunt virgines nisi ut sive deorum (v. 1 sqq.) sive regis Pelasgi auxilium implorent (v. 325 sqq., 418—437). Itaque Danaus quoque nulla alia re animos virginum augere conatur quam ut eas ut dis confidant adhortetur (v. 773 sqq.). Quae facienda sint ad periculum propulsandum aut Danaus exsequitur — ornat aras deorum in urbe ipsa (v. 470), populum Argivorum precibus adit (v. 605), armatorum manum arcessit (v. 980) — aut Pelasgus (populo persuadere conatur, repellit Aegyptiorum praeconem v. 911). Item in Septem tanto timore est affectus chorus ut non solum non animum Eteoclis non incitet ad hostes repellendos sed tantopere trepidet ut gravi demum iussu Eteoclis paulo constantior esse conetur et eius ad propulsandos hostium duces mandata optatis tantum suis comitetur[2]). Neque aliter se habet „Persarum" chorus.

1) Diss. Gotting. 1913, p. 1 sqq.

2) Animadvertendum mihi videtur in fine Septem fabulae chorum ab hac ratione recedere, cum altera pars chori imperio civium obsistere audeat

Quamquam ut ipse dicit convenit consultum de salute rei publicae (v. 140 sqq.), tamen ipse quid faciendum sit in tanta calamitate non deliberat sed implorat tantum Darei mortui auxilium.

Aliter res se habet in fabulis posterioris aetatis. Atque primum in fine fabulae Agamemnonis chorus quamquam antea nullam actionis partem habuit, Agamemnone interfecto tanta incitatur ira ut nonnulli senes vel in domum ipsam regiam invadere parati sint:

v. 1350 ἐμοὶ δ' ὅπως τάχιστα γ' ἐμπεσεῖν δοκεῖ
καὶ πρᾶγμ' ἐλέγχειν σὺν νεορρύτῳ ξίφει,

neque totus chorus Clytaemestram acerbis verbis accusare cunctetur (v. 1426 sqq., 1497/8), maxime

v. 1505 ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ
τοῦδε τοῦ φόνου τίς ὁ μαρτυρήσων.

Imprimis autem Aegisthum petit chorus, quin etiam gladios stringunt senes ut eum interficiant (v. 165).

Etiam magis Choephororum duobus locis actionem ipsam movet chorus: et v. 306 sqq., ubi ut supra vidimus Orestem incitare conatur ut caedem faciat et v. 783—837 cantico, ubi idem chorus animum Orestis confirmat

v. 836/7 πατρὸς αὐδὰν ἐπαΐσας
ὄρσο ῥύσια, καίπερ αἰνῶν ἐπίμομφον ἄταν.

In Eumenidibus vero tantopere auxit poeta chori vim ut tota actio ab eo solo oriri videatur cum non solum Orestem sed etiam Apollinem petat atque in iudicio refellat. Chorus igitur actoribus praestat viribus.

Sic igitur res se habet, ut quamquam omnino in posterioribus fabulis unius viri fortuna agatur, tamen nonnullis locis chorus fortissime agat in actione ipsa efficienda, id quod in prioribus fabulis non facit. Ergo hoc

---

v. 1071/2 δράτω<τι>πόλις καὶ μὴ δράτω
τοὺς κλαίοντας Πολυνείκη
ἡμεῖς μὲν ἴμεν καὶ συνθάψομεν.

Sic ob hanc quoque causam spurius est iudicandus finis fabulae.

quoque modo actionem ipsam magis dramaticam et efficaciorem reddere didicerat Aeschylus.

Iam quomodo in Prometheo res se habeat quaerendum est. Consentit sane cum Agamemnonis ratione; nam cum tota fere fabula Prometheus solus actionis sit auctor, chorus querelas tantum effundat in auras, in fine fabulae, ubi primum res in summum discrimen deducitur, animum colligit chorus et paratus est eandem quam Prometheus fortunam pati (v. 1063).

Iam transeamus ad *argumenta canticorum* Promethei perscrutanda. Quam ad rem recte diiudicandam opus erit omnino de Aeschyli carminibus disserere ita ut imprimis quomodo cum actione fabulae coniuncta sint quaeramus. Quod Aristoteles chori vim his verbis significat καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ, eam eius sententiam fuisse apparet ut aut participem actionis debere esse chorum censeret, aut certe μόριον εἶναι τοῦ ὅλου, quod quid significet ex scholio Aristoph. Ach. 440 declaratur: καὶ διὰ τούτων τὸν Εὐριπίδην διασύρει, οὗτος γὰρ εἰσάγει τοὺς χοροὺς οὔτε τά ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἀπαγγέλλοντας. Postulat igitur ut carmina cum argumento antecedentis scaenae cohaereant Aristoteles, id quod in Sophoclis fabulis factum esse iudicat cum ex huius poetae consuetudine rationem suam repetat, non ab Euripide. Quam sententiam affirmavit Wilamowitzius[1]) „der Chor pflegt im Laufe des Dramas seine Maske fast ganz zu vergessen und lediglich das Instrument zu sein, mit welchem der Dichter Stimmungen, Betrachtungen, Erzählungen vorträgt.“ Restat ut quomodo Aeschyli cantica se habeant quaeramus.

A. Primumque ea carmina consideremus quae ipsa actionis progressum continent, quod maxime perspicuum est in Eumenidibus, ubi chorus Orestem persequens ac-

---

1) Herakl.², p. 115.

tionis auctor est, ut statim primo stasimo, v. 140—177: Cum Apollo in templo suo Oresti ut Athenas eat Mercurio comite mandet, chorus obdormiscit neque Orestem retibus elabentem sentit. Carmen incipit ab eo ipso tempore quo chorus Clytaemestrae umbrae voce perterritus e somno excitatur, atque prima quidem choragus quae iuxta se dormientem suscitat itemque alia aliam, ita ut subito exsiliant magnopere perturbatae et clamitantes et gravissime ferentes quod fera iam exhausta effugerit atque Apollini ipsi maledicentes. Iam denuo eam persequi constituunt et minantur nusquam eam liberam futuram esse etiamsi ad inferos fugerit.

Secundum canticum, v. 244—275, nihil nisi actio dramatica ipsa est. Orestem qui iam in templum Athenae advenit persequentes Eumenides adveniunt. Investigant eum, inveniunt ad aram sedentem, minantes se eum ut umbram extostam secum ad inferos tracturas esse.

Porro huc referendum est Persarum 623—680. Chorus exsequitur hoc cantico quod Atossa ei v. 620 1 mandat: tantopere fluit ex ipsa Atossae oratione ut primi versus responsum ad verba Atossae contineant chorum esse paratum mandata exsequi. Deinde orditur statim a dis inferis implorandis ut Darei animam emittant cum nemo nisi is in tanta regni Persarum calamitate quid sit faciendum suadere possit. Postremo anima Darei ipsius imploratur.

Parem vim habet Agamemnonis adoratio in Choeph. v. 152—164, quamquam multo brevior est, quae ipsa quoque tam arte cum actione antecedente conexa est, ut nihil sit nisi sacrificium Electrae a puellis adiutae (v. 150/1).

Iam ad Supplicum v. 418—437 nos convertamus, quibus virgines a rege Pelasgo salutem petunt. Ante hoc carmen rex quam difficile sibi esset exposuit diiudicare utrum choro praesidium daret necne, nam si faceret, periculum esse ne urbi et bellum et calamitas oreretur, si non, ne deorum irae telis percuteretur. Carmine peracto rex pergit v. 430 καὶ δὴ πέφρασμαι. Animum igitur

induxit quid facturus esset, isque erat carminis finis, ut regis animum sibi benevolum redderet chorus. Precibus igitur chorus assecutus est quod voluit.

Quod ad artem scaenicam attinet hoc carmine breve spatium deliberationis regis completur. Qua re denuo affirmatur cur Aeschylus soliloquium deliberationis quale habet Homerus adhibere non potuerit[1]). Nam si pro carmine soliloquium regis esset, non solum fabulae actio hac re retardaretur, sed etiam chori animus tacere coacti magnopere torqueretur hac dubitatione regis. Nunc autem cum quo sit animo libere eloqui possit chorus, precibus suis efficere conatur ut rex consilium sibi commodum capiat, qua re actio fit efficacior et acrior.

Similiter res se habet de Supplicum canticis v. 524—599 et v. 966—979 et Choeph. v. 783—837.

Iam contemplemur Eum. 308—396, quod carmen Eumenides cantant ut quomodo ipsae dicunt Orestem pavore defigant

v. 306 ὕμνον δ' ἀκούσει τόνδε δέσμιον σέθεν,

cum ipse se in Athenae praesidio et Eumenides elapsum esse credat (v. 298). Qua spe eum deiciunt cum se eum plane extostum ad inferos detracturas esse minentur.

Iam sequitur canticum ipsum: Imploratur mater Nox ut preces exaudiat. Tum quid suum sit exponunt. — Quam arte cum actione coniunctum sit carmen iam ea re indicatur quod ex ipso chori cum Oreste dialogo emanat, eaque est quod ad actionem attinet vis carminis ut Orestes vinciatur. Qua re assecutus est poeta, ut Orestis persona ex factionum controversia iam incipienti v. 398 eximi posset, cum sublatus sit timor ne denuo evadat.

Neque tamen in actione sola carminis vis posita est sed multo gravior est. Id enim agebat poeta ut quam terribiles essent Eumenides non solum specie atque habitu

---

1) cf. Leo, Monolog i. Dr. p. 9: „Dem homerischen Monolog des Überlegens und Entscheidens hat der Chor den Weg in die Tragödie verlegt.“

earum sed etiam moribus atque muneribus probaret atque affirmaret. Itaque imprimis quae sit Eumenidum natura illustratur.

Qua re adductae sint ut hoc ipso loco quae sit potentia atque ius muneris sui demonstrent, ex versu 323 apparet:

ὁ Λατοῦς γάρ ἶ-
νίς μ' ἄτιμον τίθησιν
τόνδ' ἀφαιρούμενος πτῶκα.

Eo enim tempore quo periculum est ne munere suo priventur adducuntur ut probent hoc munus ab antiquissimis temporibus suum fuisse,

v. 333 et 349 γιγνομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη.

Eadem ratione compositum est Sept. 288—368.

Cum antecedente scaena conectitur Eteoclis mandato

v. 280: τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς
μηδ' ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν,

ad quod chorus initio carminis respondet μέλει. Mandatum igitur regis exsequi studet. Sed ut in antecedente carmine minoris interest poetae qui sit rerum effectus explanare quam quibus sint virgines animis. Quam ob rem statim confitentur φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ, neque aliud continet carmen nisi quae futura sibi fingunt si urbs capiatur: Si di urbem desererent, ab hostibus deleretur incolaeque occiderentur.

Ea re igitur primo carmini eiusdem fabulae simile est quod timorem chori exprimit, sed non est timor statim imminentis calamitatis sed quae fortasse fiet. Itaque tempus quiesque est choro datum ad haec omnia animo fingenda. Qua de causa invenitur hic magna copia rerum quas evenire posse opinatur chorus itemque magna copia sermonis imaginum, cum in primo cantu nihil aliud animo chori obversetur nisi illud hostes advenire et propterea illud „adeste di, adeste!“ Qua de causa illic eadem semper redeunt verba exclamationis (v. 83, 100, 103, 151, 160).

Id igitur est proprium horum duorum carminum quae modo tractavimus, ut habeant quidem actionem quandam dramaticam, sed argumentum sit lyricum.

Contrariam rem animadvertemus in duobus aliis carminibus quae quamquam formam lyricam prae se ferunt, tamen non parvum actionis momentum in se habent, in parodis Septem et Choephororum.

Atque primum ad illius fabulae parodum nos convertamus, v. 78—100. Quae sit causa cur virgines in scaenam prodeant statim ab initio comperimus: est urbis calamitas. Audito enim vehementissimo hostium ante urbem versantium strepitu timore perterritae ad aras deorum in acropoli stantes confugiunt oratum ut ab hostium impetu se defendant: v. 211 et 239 sqq.

Priore parte carminis, v. 78—107, quantopere animi virginum clamore audito sint permoti demonstratur: tantopere sunt perterritae, ut nunc quoque clamores hostium, clipeorum strepitum audire sibi videantur. Quaestioni deinde obortae τίς ἄρα ῥύσεται altera pars adicitur qua di implorantur.

Ea igitur est lyrica vis carminis, ut plane desperantes videamus virgines; nihilo autem secius actionis quoque magnum progressum affert, cum ea quae nuntius antea, v. 54, indicavit iam facta esse exponatur. Sic prima pars actionis fabulae qua spectatoribus periculum urbi imminens ante oculos ponitur, in tres partes dividitur:

primum quomodo opinentur cives calamitatem futuram ex vatis augurio v. 28 exponitur:

λέγω μεγίστην προσβολὴν Ἀχαιίδα
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβούλευσιν πόλει

tum sequitur certa nuntii de septem ducum coniuratione relatio (v. 39—67),

tertium chori nuntius: hostes ad urbem accedere[1]).

1) v. 88 habent codices

βοᾷ ὑπὲρ τειχέων
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
τρεπὴς ἐπὶ πόλιν

Quasi actoris igitur partes chorus agit his versibus nisi quod non ut Eteocles (v. 36) et nuntius (v. 56 sq.) periculo obsistere audet sed patitur tantum, ut iam supra vidimus.

Iam pauca de Choephororum parodo v. 22—83 dicantur:

In scaenam prodire se dicit chorus a Clytaemestra iussum Agamemnoni inferias facere, cum Clytaemestra infelix somnium viderit proxima nocte quod vates necatorum ira ad lucem emissum esse interpretatus sit. Itaque prinum quid de facto Clytaemestrae de eaque ipsa sentiat dicendum est choro: dominam odit facitque cum Agamemnonis ultoribus. Quam ob rem optat ut aliquando denique qui domum a tyrannis liberet veniat.

Lyrica igitur vis carminis ea est ut qua re animi virginum permoveantur demonstretur, dramatica ea, ut incipiat actio fabulae: suscensent manes occisorum, quid molientur? Hoc primo sacro eos placare conatur regina.

Ad hoc parodorum genus Eumenidum et Promethei quoque quas supra (p. 55 sqq.) tractavi pertinent.

Quodsi cum hac Aeschyli ratione recentiorum tragicorum rationem comparamus, utrumque, et Sophoclem et Euripidem, choro multo minorem actionis partem tribuisse

---

ubi ὑπὲρ τειχέων certe falsum est; primum enim non intellegitur ad quod verbum referenda sint haec duo. Neque enim cum verbo ὄρνυται coniungi possunt quod hostes ad urbem (ἐπὶ πόλιν) accedere demum narrantur, neque cum βοᾷ substantivo. In Buecheleri coniectura βοᾷ ὑπερτρέχων genetivum desideramus eam rem significantem super quam populus currit, ut πεδίου; praeterea verbum ὑπερτρέχων non solum supervacaneum est ob illud ὄρνυται, sed etiam huic ὄρν. omnem vim demit, cum ὑπερτρέχων gravius sit. Argumentum enuntiati etiam omisso ὑπερ τειχέων plane perspicuum est: populus armis exornatus ad urbem accedit *cum clamore*. Id tantum mirum est quod βοᾷ attributo caret cum *clamor* hostium appropinquantium civium animos maxime permoveat. Itaque legendum esse censeo

βοᾷ ὑπερτόνῳ.

Verbum est Aeschyleum, ut

Eum. 569 ὑπέρτονον γήρυγμα φαινέτω στρατῷ.

cognoscimus. Sophocles huius generis duo tantum exempla habet: Philoct. 827 sqq.[1]) ubi chorus actorem ipsum agendo superat cum Neoptolemo omni modo persuadere conetur ut arcum Philoctetae somno oppressi auferat, et in Ichneutis ludo satyrico ubi chorus furem investigat, vv. 170—198. Neque autem Oed. Col. 668 sqq., El. 472 sqq. et parodi Electrae, Philoctetae, Oedipodis Colonei plane carent actione.

B. Iam ad aliud genus carminum transeamus quae actionis quidem nihil in se habent, sed ea re cum actione ipsa coniuncta sunt, ut quibus animi motibus afficiatur chorus actione antecedente exprimant.

Simplicissimum huius generis carmen est Suppl. 625—709: Gratias agunt Danaïdes quod plebiscito in terram Argivorum receptae sint, et deos ut terram Argivorum tueantur cunctisque bonis donent orant. Ergo per totum carmen idem animus chori valet.

Ex Septem fabula ultimum carmen huic generi annumerandum est. Duplex allatus est nuntius: et urbem servatam esse, et cecidisse fratres. Qua de causa diversis quoque rebus chori animus permovetur: gaudet quod urbs servata est, dolet quod fratres ceciderunt.

Neque quamquam hae querelae longissimae sunt, aliud quicquam proferunt virgines quam quod ad ipsum argumentum fabulae pertinet: non de hominum sorte aut de fortunae mobilitate miserantur, sed mortuos solos lugent[2]).

---

1) A. Rahm, Über den Zusammenhang zwischen Chorliedern und Handlung in den erhaltenen Dramen des Sophokles (und Euripides). Diss. Erlangen 1906, p. 58/9.

2) Dialogum inter Antigonam et nuntium urbis spurium esse non solum eis quae attulerunt Corssen (Sophokles Antigone, Progr. 1898, p. 12 sqq.) et Wilamowitzius (Drei Schlußsc.) argumentis probatur, sed etiam dictionis genere quod ab Aeschylo alienum est. ut primum Antigonae inanis verborum ludus repetendi eiusdem verbi ubi respondet:

Simplicius est carmen Choeph. 935—977. Dum caedes fit, chorus recedit de medio (v. 872 sqq.), caede facta denuo accedens quamquam corpora occisorum conspicit non sine horrore quodam, tamen multo magis laetatur quod expiata sunt scelera (v. 931—934), domus est purgata.

Sequatur Agam. 975—1034. Chorus propter nimium splendorem quo Agamemnonem triumphantem vidit modo

---

v. 1047 nuntius: αὐδῶ
Antig. αὐδῶ
nunt. τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά
Antig.: τράχυν', ἄθαπτος δ' οὗτος οὐ γενήσεται.

Τραχύνω est „reddere crudelem aliquem", hoc autem loco nihil aliud significat nisi „ut sit crudelis, tamen . . ." Consulto igitur verbum quoddam eiusdem stirpis cuius antecedens τραχύς adhibitum est, quo acrior verborum contentio fieret. Cum eadem verba ridicule imitetur Antigona, in nuntium eo acrius et acerbius invehitur. Voces quasi repercutiuntur saxo nimis duro animi Antigonae. Quomodo autem Aeschylus tali dialogo ironico totam fabulam finire poterat! Deinde Antigonae responsi verba (v. 1031) ex moribus virginis intellegi non possunt; nam primum nullo modo Antigonae aninum nuntii mandato valde permoveri cognosci potest. Neque enim solum audito hoc imperio plane inexspectato non stupefacta vel etiam perturbata est, sed statim consilium capit

v. 1031 ἐγὼ δὲ Καδμείων γε προστάταις λέγω,

neque qua de causa fratrem sepelire velit demonstrare omittit (v. 1036 δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνου οὗ πεφύκαμεν, μητρὸς ταλαίνης κἀπὸ δυστήνου πατρός) — id quod spectatoribus plane supervacaneum esse videtur.

Tertium utitur ludis sermonis rhetoricis qui ad talem animi motum omnino non quadrant:

v. 1038 τοίγαρ θέλουσ' ἄκοντι κοινώνει κακῶν
θανόντι ζῶσα συγγόνῳ φρενί
ψυχῇ . . .

Quam nihil valens illud ἄκοντι de Polynice mortuo dicitur! Porro quid vult ζῶσα? Plane supervacaneum est et ea tantum de causa collocatum, ut illi θανόντι aliquid contrarii opponeretur, praeterquam quod θανόντι ipsum quoque nihil affert novi et tota sententia huius versus post

v. 1033 ἐγὼ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ

supervacanea est.

exornatum ne in contrarium vertatur haec fortuna veretur. Postremo adhortatur homines ut a nimia felicitate caveant.

Horum carminum numero asserendum est Promethei quoque carmen ultimum v. 887—906.

Quoniam ex Promethei et Ionis ipsius narratione comperit quam crudeli manu eam tetigerit deus quamque aeterni iam futuri sint eius cruciatus dum in gratiam reditura sit deo, tanto timore atque horrore afficitur, ut nihil optet nisi ne umquam Iovis vel alterius dei fiat uxor, cum nimis terribilis sit eorum ira. — Chorum ex Ionis fortuna aliud concludere atque spectatores et Prometheus ipse, in tragoediis Atticis saepius occurrit, ut Soph. Oed. tyr. 1086, ubi spectatores iam veram rem mox patefactum iri opinantur, cum chorus nihil suspicans illustrissimis verbis dominum suum a dis ortum esse praedicet [1]). Item Antigon. 1115 sqq., Aias 613 sqq.

Quodsi cum his canticis Sophoclis [2]) eiusdem generis cantica comparamus, apud eum multo maiorem numerum exstare quam apud Aeschylum apertum fit. Qua re efficitur iam illis temporibus chori vim ita mutatam esse ut multo magis lyricum tantum momentum in fabula haberet quam dramaticum.

Quamvis igitur in hoc carminum genere id spectaverit Aeschylus ut argumenta carminum cum actione ipsa coniungeret, tamen quod ad formam attinet non semper cum actione ipsa coniunxit carmina, ut in genere supra tractato semper fecit, quamquam non plane desideratur talis coniunctio, ut Sept. v. 822 sqq., ubi ultima in chori et nuntii dialogo verba nuntii iam argumentum carminis indicant

v. 815: τοιαῦτα χαίρειν καὶ δακρύεσθαι πάρα . . .

nam statim a choro excipiuntur:

v. 825 πότερον χαίρω . . . ἢ . . . κλαύσω . . .

---

1) Rahm, Diss. p. 13.
2) Rahm, Diss. p. 50.

Etiam Choeph. 872 et Suppl. 625 ut cantet admonetur chorus, neque autem ab actore, sed a chorago. qui quid de re ante gesta sentiat verbis suis declarat, actorem ipsum plane neglegit, ut

Suppl. 625 ἄγε δὴ λέξωμεν . . . εὐχάς

et

Choeph. 872 στένω μὲν οὖν καὶ
τῶνδε συμφορὰν διπλῆν.

At in Agam. 975 et Prom. 887 nulla fit coniunctio: nam in Agamemnone dialogo inter Agamemnonem et Clytaemestram confecto chorus ita incipit, ut primo adspectu plane contraria re commoveri videatur

v. 975 τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως
δεῖμα . . .,

in Prometheo postquam Io denuo dementia capta (v. 877) abacta est, chorus incipit ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ἦν . . .

C. Tertium est id genus carminum quae non ad antecedentia respiciunt sed ad res futuras spectant, imprimis ad exitum fabulae.

Hic igitur quaerendum erit utrum nihilo secius cum praecedenti actione cohaereant carmina an plane ab ea desecentur.

Primum de Ag. 351—500 agamus. Argumentum iam indicatur

v. 351 ἐγὼ δ' ἀκούσας πιστά σου τεκμήρια
θεοὺς προσειπεῖν εὖ παρασκευάζομαι.

Ergo gratias acturus est chorus, cum Troiam deletam esse audiverit a Clytaemestra.

Sed in priore tantum parte agit gratias v. 355—366. Tum movetur quaestio cur Troia perierit, ad quam chorus ipse respondit: poenam esse superbiae. Etsi enim scelus commiserit Paris solus, tamen quod multos habeat cognatos hos quoque cum eo perire debere. Helenam autem, cum particeps sceleris facta sit, interitum ut dotem Troiam apportavisse (v. 406). Sed Atridis quoque eandem imminere fortunam, cum desiderio uxoris abductae

commotus Menelaus expeditionem susceperit, quae totam Graeciam omnibus viris fortibus privaverit. Quorum sanguinis poenam repetiturum esse Iovem. — Summa igitur argumenti non ea est quae indicata est, nam prior tantum pars carminis ad actionem antecedentem spectat et eius est generis cuius modo mentionem fecimus, cum maiore parte de domus Atridarum fortuna futura agatur.

Neque aliter iudicandum est de Agam. 684—782. Chorus plane neglecto nuntio praeconis qui ubi classis reditum et tempestatem obortam descripsit, statim denuo cuius culpa Troia perierit quaerit. Atque hic Helenam auctorem totius calamitatis appellat, cum eam cum leonis catulo capto comparet. Uterque enim sceleris germen in se habebat, ut ille cupiditatem sanguinis sic haec adulterandi, quae causa est calamitatis. Sed quod maximum choro videtur esse: Aliquamdiu hoc germen latebat in utroque, cum corporis gratia et pulchritudine obtegeretur.

Cur in has sententias incidit? In nuntii relatione nihil continetur de culpa Helenae; ergo multo graviore re chori animum premi quam classis calamitate apparet, id quod accuratius rem quaerentibus dilucidum fit. Nam v. 542, 544, 546 imprimisque

v. 548 πάλαι τὸ σιγᾶν φάρμακον βλάβης ἔχω

obscuris verbis de ea re loquitur. Tum autem Clytaemestram in scaenam prodeuntem et iterum iterumque se fidissimam marito esse affirmantem simulare cognoscit chorus. Qua re ut eam cum Helena comparet adducitur, nam haec quoque maritum suum fefellit. Sic cum antecedente actione conectitur carmen. Sed iam sequitur maximum momentum. Nonne eam eandem huic domui pestem illaturam esse concludi necesse est quam illa Troiae urbi intulit? Ubicumque cum sceleribus coniuncta est felicitas, pernicies imminet. Sic fabulae exitus indicatur.

Apud Sophoclem huius generis sunt Phil. 676—729, Tracch. 821—40, 947 sqq.

Tertium eiusmodi carmen Aeschyli est Sept. 720—791. Chorus postquam in scaena antecedente frustra adhortatus est Eteoclem ne fratri Polynici obsistat, iam Oedipodis ἀραί eventuras esse intellegit; itaque per totum carmen quam terribilis sit Furia illustrat: delere eam domum, necare fratres, necatos non expiatos relinquere. Deinde quomodo in hanc domum pervenerit Furia quaerit: Primum huius rei auctorem fuisse Laïum, secundum Oedipodem, qui potissimum sementem calamitatis fecerit:

v. 754 σπείρας ἄρουραν, ἵνα ἐτράφη,
ῥίζαν αἱματόεσσαν
ἔτλα.

Quam ruinam eo graviorem futuram esse quod ex sumna felicitate qua Oedipus usus sit orta sit:

v. 769 πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει
ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν
ὄλβος ἄγαν παχυνθείς.

Eo igitur modo cum antecedente actione coniunctum est carmen, ut quo animi motu affectus sit chorus Eteoclis consilio modo capto exponatur; sed eiusmodi est animi motus, ut futuram quoque calamitatem praesentiat chorus. —

D. Iam exstant complura carmina quae cum antecedente argumento cohaerere non videntur; quaerendum igitur erit quae ratio inter horum argumentum et actionem praecedentem intercedat.

Quorum in numero ducendum est Eum. 490—565, quo mores Eumenidum illustrantur. Priore parte quid futurum sit si sibi munus abrogetur explanant (v. 490—516): Homines non verituros esse scelera committere (v. 494/5) et frustra patrem et matrem a liberis vexatos ut ius sibi reddatur postulaturos esse (v. 513 sqq.). Tum usque ad finem cur futurum sit ut omnia iura divina atque humana tollantur.

Qua causa chorus ut quid esset munus suum illustraret commotus sit quaerentes eandem invenimus quam

praecedentis carminis: periculum ne sibi hoc munus abrogetur. Qua re efficitur cum actionis praecedentis ultima parte non coniunctum esse hoc carmen; ibi enim Athena de scaena abit mandans choro ut testes et testimonia afferat iudicii futuri (v. 485/7). Sed chori non tam interest quid sit dicturus deliberare, cum iam antea, v. 200 sqq., causas iustissimas protulerit, quam quid se futurum sit, si Orestes hoc iudicio absolvatur. Sic non ad ultimam sed ad eam partem actionis respicit carmen quae maxime ad chori fortunam futuram pertinet quaque maxime animi chori commoventur. Neque autem ad futura spectat carminis argumentum quamquam de rebus futuris tantum loquïtur chorus; re vera enim ea omnia quae futura esse opinatur chorus, non eveniunt, cum iura divina atque humana non dissolvantur Eumenidibus remotis, sed in aeternum valeant.

Iam ad Pers. 852—908 transeamus. Toto carmine praedicantur Darei virtutes: Fuisse eum virum pacis amantem (v. 856 ἄμαχος βασιλεύς), omnes vicisse hostes, permultas delevisse urbes, maximeque amplificavisse regnum insulis maris Aegaei et urbibus Ionicis Asiae subactis.

Quamquam cum in antecedente scaena Dareus et Atossa de calamitate exercitus Persarum et de superbia Xerxis, qua deorum ira excitata sit colloquantur, quomodo cum actione huius scaenae cohaereat primo adspectu non intellegitur, tamen ipso argumento scaenae effectum est carminis argumentum. Nam cum quam superbus fuerit Xerxes et quanta in deos scelera commiserit explanat Dareus, chorus huius ipsius regis imagine quam diversa omnia eius temporibus fuerint admonetur.

Sic per totum carmen Darei et Xerxis mores inter se opponuntur: Ut hic erat novarum rerum cupidus Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς ὢν νέος νέα φρονεῖ (v. 782), Dareus erat animo constanti et sapienti, ut hic bellandi cupidissimus (v. 753 sqq.), sic ille ἄμαχος βασιλεὺς ἰσόθεος Δαρεῖος, ut hic leviter omnes opes a maioribus comparatas effudit (v. 749) sic ille magnopere auxit regni fines (888). Cur autem

Dareo regnanti omnia bene eveniebant? Quod temperare sibi sciebat:

v. 865 πόρον οὐ διαβὰς Ἅλυος ποταμοῖο
οὐδ' ἀφ' ἑστίας συθείς

neque superbia elatus deorum ipsorum imperium detrectare conatus est ut Xerxes (v. 849/50).

Sic longius contexit sententiam actus secundi ὕβρις causam fuisse calamitatis regni Persarum.

Re vera igitur, cum Dareum praedicet, horum temporum miseriam lamentatur et desiderio tenetur illorum temporum felicium. Sic summa sententia carminis, quamquam res aliter se habere videtur, tamen ad actionem antecedentem respicit.

Cui carminum numero asserendum Prom. 526 sqq. quoque est.

Precatur chorus ne umquam eo adducatur ut in Iovem peccet sed laetus vitam degat. Quanto enim supplicio ei afficiantur qui Iovi oboedientes non fuerint, ex Promethei exemplo cognosci posse. Quamque alio animo fuerit cum Prometheo Hesionam[1]) in matrimonium ducenti carmen nuptiale chorus caneret recordatur.

Verborum quidem coniunctio quam Roehlecke exspectat, deest inter carmen et actionem, nam antea Prometheus inventiones suas enarravit et de Iovis fortuna

---

1) Welckerus (Prom. p. 11) ex his versibus effici censet chorum primae trilogiae fabulae quam πυρφόρος fuisse iudicat easdem Oceanides fuisse: „Diese Anführung inquit kann nur auf das sich beziehen, was den Zuschauern vor Augen gestellt worden ist, weil Äschylus überhaupt, aus dem Überfluß der Mythen sparsam schöpfend und auch im Kleinsten nichts umsonst anregend, nur das aufzunehmen gewohnt ist, was zum gegenwärtigen Zwecke dient und in den Umfang der Vorstellung fast mit Notwendigkeit gehört." Sed si ita esset, Oceanides in Prometheo Vincto de ignis raptu aliquid scire necesse esset, quod non casu fit, cum a Prometheo demum de ea re certiores fiant et comperta re valde mirentur

v. 255 καὶ νῦν φλογωπὸν πῦρ ἔχουσ' ἐφήμεροι;

Sic ex hac re antecessisse ante Prometheum Vinctum iam aliam fabulam probari non potest.

cum choro collocutus est (v. 511 sqq.), cuius rei chorus rationem non habet in carmine. Sed tali coniunctione non opus esse ex carminibus Eum. 490—565 et Pers. 852—908 modo tractatis satis apparere mihi videtur. Argumentum autem carminis optime ad actionem quadrat, id quod statim intellegimus ex ultima stropha v. 553 sqq., ubi chorus pristinae Promethei fortunae reminiscitur quae longe diversa erat ab hac. Quae memoria revocata est Promethei ipsius verbis quibus miseriam horum temporum cum pristina auctoritate et potentia comparat:

v. 469 τοιαῦτα μηχανήματ' ἐξευρὼν τάλας
βροτοῖσιν αὐτὸς οὐκ ἔχω σόφισμ' ὅτῳ
τῆς νῦν παρούσης πημονῆς ἀπαλλαγῶ.

Cur autem Prometheus in hanc miseriam deiectus est? Quod peccavit in Iovem. Qua de re ne in Iovem peccet optat chorus. Sic carmen ortum est ex horrore quo chorus fortunae Promethei vice modo descripta affectus est. Ergo non aliter atque Persarum et Eumenidum carmina ad ipsam actionem antecedentem respicit, qua re ex fabula ipsa eximi non posse carmen demonstratur.

E. Iam restat ut quaeramus num apud Aeschylum iam vestigia inveniantur eius artis compositionis qua poeta non chori sed suam ipsius de aliqua re sententiam explanat.

Atque primum perlustremus carmen, quod, etsi non totum, tamen magna ex parte Aeschyli reddit sententias: Suppl. 1—175. Chorus ut se recipiant in hanc terram et ab Aegypti filiis insectantibus tueantur implorat deos. Timore igitur ne illis nubere cogantur adducuntur virgines ut deos obsecrent.

Sane quidem res est dramatica. Sed perpauca eius rei vestigia invenimus. Quae dicenda erant primis versibus (1—40) dicit; tum se ex hac terra ortum esse probat, cum Ionis sit generis (40—57), deinde denuo adorat deos (v. 77—85), sed eo consilio sic instituta est res a poeta, ut adnectat contemplationem de Iovis natura (v. 86—104) atque imprimis de eius potentia:

Eius enim voluntatem esse lucem clarissimam in rerum humanarum tenebris. quaeque excogitaverit exsequi eum nullo negotio et semper ita ut superior sit. — Mirum est hos ipsos versus abundare imaginibus, cum et antecedentes et sequentes versus simplicissime ficti sint: voluntas eius cum luce comparatur, quodque excogitavit sibi faciendum cum gladiatore victore, qui non in tergum cadit sed adversarium prosternit — τὸ γὰρ ἐπὶ νώτῳ πίπτειν τοὺς παλαιστὰς ἄσχημόν ἐστιν dicit scholiasta — obscuras esse vias quibus Juppiter iter faciat, quas nemo videre possit; neque maiorem esse expugnatorem, cum deiciat homines ex summae spei turribus:

v. 96 ἰάπτει δ' ἐλπίδων
ἀφ' ὑψιπύργων πανώλεις
βροτούς

atque ne arma quidem eum necesse est capere.

Ergo apertum est poetam consulto hos versus tanta vi exstruxisse; neque enim Danaidum lamentantium haec verba et sententiae sunt, sed ipsius poetae professio quid sentiat de rebus divinis.

Eadem est res in Agamemnonis parodo.

Atque primum animadvertendum est non coniunctam esse parodum cum custodis soliloquio antecedente, ut in Choephoris fecit poeta ubi Orestis verbis

v. 20/21 Πυλάδη σταθῶμεν ἐκποδὼν
ὡς ἂν σαφῶς μάθω γυναικῶν ἥτις ἥδε προστροπή

virginum chorus iam indicatur, sed ut in prioribus fabulis, ut Sept. v. 78 sqq., rem instituisse poetam. Qua re iterum confirmatur quam non secutus sit Aeschylus leges certas in componendis fabulis sed quomodo unaquaeque fabula composita sit in ipsius argumento et chori partibus positum esse. Atque in Agamemnone congruere talem compositionem cum partibus quas omnino agat chorus statuendum est: quam minime enim actionis particeps est chorus.

Simili autem modo composita sunt et custodis soli-

loquium et chori parodus, cum eadem re et custos et chorus ad ea quae dicunt dicenda commoveantur: desiderio tenentur Agamemnonis et exercitus absentis, optant ut tandem aliquando revertatur (v. 1 2 = 40 41). Sunt igitur duae scaenae inter se pares, quae eandem initio reddunt sententiam. Cur adsit in scaena custos ex scaena ipsa probatur: est enim domus regia Agamemnonis, cuius in tecto excubias agit custos a Clytaemestra iussus. Cur autem chorus senum in scaenam prodeat non probatur. Cogitari potest velle eum de Troiae fortuna quaerere; sed ut id quaerat Clytaemestrae demum adventu adducitur (v. 83). Res sane mira est nam una est ex servatis Aeschyli fabulis in qua non cur in scaenam prodeat chorus probatur. In Supplicibus enim, cum Aegypti filios fugiant ad aras deorum in scaena stantes properant virgines, in Septem eadem de causa, in Persis senatus convenit ad consilium capiendum, in Prometheo Oceanides auditis mallei plagis quid factum sit visum adveniunt, in Choephoris chorus ministrorum a Clytaemestra domina sacrificare iussus prodit, in Eumenidibus chorus Orestem persequitur.

Cur sic et non aliter rem instituerit poeta quaerentes in chori natura rem positam esse invenimus: debilis enim est et infirmus (v. 72 sqq.), nisus baculo neque aliud quicquam nisi somni species clari diei (v. 81, 82), talis denique est ut minimas possit partes agere et ad actionem ipsam nihil valeat. Sub finem demum fabulae, cum peracta re vel senes summa ira inflammentur, in Aegisthum gravissime invehuntur. Consulto autem senes cupiditatum tam expertes chorum elegit poeta, ut eo gravius quam acris sit animi Clytaemestra fingere posset.

Argumentum carminis efficitur adventu Clytaemestrae sacra facturae mortui manibus. Suspicatur enim chorus accidisse aliquid funesti. Cumque Clytaemestra interroganti (v. 85 sqq.) quid factum sit non respondeat antequam sacra fecit, chorus interea quid evenisse possit considerat. Imprimisque eum de eis quae ad Troiam

geruntur cogitare consentaneum est ex eis quae primis versibus audivimus. Ex augurio et Calchantis coniectura utrum victoria an calamitas futura esset discerni non poterat: quae fore suspicatus erat accidebant, nam Diana ut immolaretur Iphigenia postulabat. Iam ea quoque eventura esse sibi persuadet chorus quae si hoc fieret fore vaticinatus erat Calchas:

v. 154 μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος
οἰκονόμος δολία μνάμων μῆνις τεκνόποινος.

Spectat igitur haec pars carminis ad actionem sequentem.

Hoc autem loco interrumpitur carmen descriptione Iovis naturae (v. 161—191):

Omnia quae fiant in terra eius voluntate ommipotenti fieri, magnosque eum imponere hominibus et labores et dolores. Sic ea quoque quae Aulide facta sint Iovis esse voluntate facta.

Sic duae diversae sententiae uno tenore proferuntur: Et a Diana sacrificia sibi postulanti omnia mala oriri, nam quodcumque Agamemno agat fieri non posse ut scelus non committat

v. 206 βαρεῖα μὲν κὴρ
τὸ μὴ πιθέσθαι, βαρεῖα δ' εἰ τέκνον δαΐξω,

et a Iove omnia iuste regenti.

Ergo ibi carminis epici narratio et poetae ipsius sententia inter se coniuncta sunt. Non ita rem fingit quasi Dianae auctoritati obtrectare velit pro Iovis, cum nusquam chorum faciat in eam graviter invehentem, immo ubique verecunde de ea loquentem, sed confirmata tantum est rebus Aulide gestis eius de numine divino sententia: formas quidem religionis sequebatur populi sui, sed vera eius de dis sententia erat multo subtilior et gravior. Nonne apud omnes magnos viros qui novarum religionis sententiarum auctores fuerunt id confirmatum videmus? Lutherus quamquam severe secutus est catholicae ecclesiae doctrinam de inspiratione, tamen Jacobi epistulam stramenticiam appellat. Quid? Nonne Jesus legem Mosaïcam

sane observandam popularibus ante oculos posuit? Attamen dominos esse sabbati appellat homines. Neque nostrum est quaerere quomodo tales discrepantias in se coniunxerint viri illi summi ingenii, neque enim ipsi de hac re vili secum reputaverunt.

Id autem apertum est chorum suo ipsius animo ad hanc duplicem considerationem adduci non potuisse, quamvis magnam veritatis speciem assecutus sit poeta cum illa verba a senibus permulta expertis et omnia bono consilio considerantibus dicta fingat. Is est artis poeticae progressus inde a Supplicibus ubi a virginibus iisque summo metu perterritis talia verba dicta facit.

Unum exstat carmen quo nihil aliud nisi poetae solius sententia redditur, Choeph. 585—632.

Illustratur hoc cantico quam ingenti vi sit mulier furibunda: Terribilior enim est et vehementior quam terrae et maris saeva portenta, terribilior elementis quoque, quin etiam viri robore animi. Id quod Althaeae et Syllae exemplo probatur. Nihil autem est quod comparari possit cum Clytaemestrae scelere quocum caedes sola Lemnia componi potest, qua nullum scelus turpius exprimi potest lingua. Neque dubitandum est quin Iustitia suo tempore gladium ulturum sit strictura.

Cum argumento antecedentis scaenae non coniunctum est carmen, cum ibi Orestes a choro admonitus iam distribuerit partes caedis et totum consilium explicaverit. Nihil nisi ut res efficiatur exspectamus. Neque aliud quicquam excepto hoc carmine accidit ante caedem ipsam nisi ut Orestes et Pylades ab Agamemnonis sepulcro ad domum regiam eant id est ut scaenam ipsam mutatam esse veri similius fiat. Quo spatio utitur poeta ut iterum explanet neminem nisi Clytaemestram magis dignum esse qui necetur. Chori autem cogitationes ut eo ipso tempore in Clytaemestram intentae sint excitatum est consilio Orestis matris interficiendae; eaedem quid futurum sit indicant. Sic cum antecedenti et sequenti scaena cohaeret canticum.

Id autem ab initio constat has sententias non chori sed poetae ipsius esse. Neque enim cogitari potest ministrarum manum tam gravibus atque subtilibus animi ingeniis praeditas esse ut intimam mulieris naturam cognovisse possit. Haec enim est carminis summa sententia: Clytaemestram non generis devotionis fato adductam esse ut Agamemnonem interficeret sed sua ipsius animi affectione. Sic hoc loco poeta id quod reliquis duobus huius generis canticis iam instituerat perfecit: ut chorum aliter loquentem faciat atque eius naturam atque animi ingenim decebat erat. Quod non sine suo iure hoc loco fecit cum suam de hoc facto sententiam opponere vellet epicae narrationi: homines liberos suorum scelerum poenas dare, non generis.

Sic hoc quoque loco Aeschylus posterioribus tragicis vias monstravit. Cognoscimus quomodo paulatim neglegatur ius summum rationis sic instituendae neque solum quod ad formam attinet sed etiam quod ad argumentum plane dissolvantur ex actione dramatica cantica.

Iam retractemus quam viam disputationis instituerimus:

Primum sibi constare et chorum et Prometheum ipsum per totam fabulam neque usquam retractatoris vestigia inveniri vidimus.

Deinde neque soliloquium neque Vulcani scaenam neque Oceanidum ab Aeschyli arte sive dramatica sive scaenica alienas esse intelleximus neque in ea scaena ubi de inventionibus agatur, de ignis raptu sententiam inflexam esse.

Tertium compositionem totius fabulae imprimisque sententiam de Iove iniusto prolatam cum Aeschyli compositionis arte et de dis sententia congruere effecimus.

Quartum quae ratio intercedat inter cantica et actionem fabulae sive quod ad formam sive quod ad argumentum attineat, non alienam esse ab Aeschyli arte vidimus.

Haec igitur statuam ex hac dissertatione:

primum non retractatam esse fabulam sed totam esse unius poetae[1]),

deinde multa vestigia exstare ab Aeschylo eam fictam esse.

---

1) Niedzballa quoque (p. 41) ex ea re quod eadem vocabula diversis locis in Prometheo repetuntur vel eiusdem stirpis plures formae adhibentur, ut αἰκία 93, 177, 600, γέγωνα 193, 784, -έω 523, 657, 787, 820, 990, -ίσκω 627, ἐφήμερος, -ιος 83, 253, 945, 546 totam fabulam eiusdem poetae esse concludit.

Vita.

Natus sum Johannes zum Felde prid. Non. Novembr. 1884 Horneburgii in parvo oppido prope Stadam sito patre Jacobo matre Rebecka ex gente Gerken quos superstites esse valde gaudeo; fidei addictus sum evangelicae. Primis litteris institutus sum Horneburgii. Vere anni 1898 receptus sum inter discipulos gymnasii Stadensis quod maturitatis testimonio instructus vere anni 1905 reliqui. Magistrorum grata semper tenebo memoria Steigerum praeter omnes a me dilectissimum atque veneratissimum qui summo Graecae tragoediae studio animum meum imbuit. Inde Gottingam me contuli ut studiis philologicis me dederem. Deinde postquam per unum semestre anni 1906 Friburgii versatus sum, Gottingae studia peregi superavique examen edocendi pueros in scholis publicis autumno anni 1908. Tum ad discendam artem educandi versatus sum Demminii et Guilelmiportu — cuius gymnasii rectori Prasse magnam habeo gratiam non solum egregiae institutionis sed etiam paterni auxilii in multis vitae angustiis atque rebus adversis praebiti — ad probandam Osnabruckii. Iam stipendiis absolutis militaribus Brunsvigii puerorum praeceptor sum Harburgii inde a vere anni 1912 in gymnasio quod dicitur reali.

Docuerunt me viri doctissimi Friburgenses: B. Schmidt, Hense, Diehl, Kluge.

Gottingenses: Leo, Schwartz, Wackernagel, Pohlenz, Meyer, Koerte, Pfuhl, Laqueur, Schroeder, Weissenfels, Schuerer, Knoke, Bousset, Kielhorn, Schulthess, Baumann, G. E. Mueller.

Seminarii philologorum per duo semestria fui sodalis; ad exercitationes grammaticas per tria semestria benigne me admisit Wackernagel.

Quibus omnibus gratiam habeo maximam. Plurimum vero debeo Leoni qui in hoc quoque opusculo conficiendo opera et consilio benigne me adiuvit quem summo cum dolore meo nuperrime cita mors abstulit.

Magnas gratias etiam debeo P. Wendland qui Leone mortuo comprobavit hanc dissertationem.